UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# Homiliæ Qvadragesimales Reverendissimi D.ni P. F. Hieronymi Baptistæ De Lanvza Venerabilis memoriæ Episcopi Barbastrensis & Albarrazini, Ord. FF. Prædicatorum

Ex Hispanico idiomate in latinum perfectè fideliterq[ue] iuxta posteriorem omnium, nouamq[ue] editionem translatæ, & ab innumeris cùm S. Scripturæ, tùm SS. Patrum typographicis erroribus emendatæ ... cum triplici Indice ...

**Lanuza, Jerónimo Bautista de**

**Antverpiæ, 1649**

Homilia Prima. De Ieivnio, Intentione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-53012

Visual Library

*raſconatur perdere opera tua bona, ſi ea ab oculis hominum abſcondas, ſicut Amram & Iochabed filium Moyſen ab oculis Ægyptiorum.*

§. 15. *Bona opera à præſtigiatoribus liberabuntur, ſi oculos veſtros in Deum fixeritis, componentes ſtructuram, quam Deus ſtatuit candelabri luminum, & Altaris aromatum.*

§. 16. *Imaginare te adſtare conſpectui Dei, quando ieiunas, & in eum tuos defige oculos cum Dauide, & vt ſancta Ezechielis animalia.*

§. 17. *Tertius labor. Expoliendus eſt homo in ordine ad proximum, idq́; eleemoſynis, quibus in cælo theſaurizatur.*

§. 18. *Poſuit Deus pauperes in vectores diuitibus. Dixit hoc S. Franciſcus, quod & Sancti agnouerunt.*

§. 19. *De Cineribus inſurgunt in nobis anxiæ ſollicitudines, quæ à ſomno excitent, vt muſcæ Ægyptios.*

§. 20. *Omnia mors redigit in cineres, vt lapillus ille omnia metalla ſtatuæ Nabuchodonoſor.*

§. 21. *Habeatur amodo vt puluis, qui adhuc viuit, vt mortuus poſitus in pheretro, ſicut Noë concluſus in arca.*

§. 22. *Eſt homo lutum ſed illitum, inſtar Idoli; ex ſuorum pedum ſonitu dignoſcendus, ſicut altera Regina vxor Regis Hieroboam.*

# HOMILIA PRIMA

## DE IEIVNIO, INTENTIONE SANCTA, ELEEMOSYNA, ET CINERIBVS.

Primo die Mercurij Quadrageſimæ.

*Cum autem ieiunatis nolite fieri ſicut Hypocritæ triſtes.* Matthæi 6.

1 IAM, per Dei miſericordiam, peruenimus ad ſacrum Quadrageſimæ tempus; tempus (vt ait S. Ambroſ.) non ex deſiderio, aut hominum cerebro inſtitutum: verùm Diuinâ authoritate conſecratum: *Non ab hominibus conſtitutum, ſed Diuinitus conſecratum, non terrenâ cogitatione inuentum, ſed cæleſti maieſtate præceptum.* Quid verò Deus in hoc prætendat, aſſerunt S. Baſil. a S. Ambroſ. b hoc eſſe, nos permouere, vt tam durum, ac ſanguinolentum vitiis peccatiſque bellum indicamus, vt eis perfectè finem imponamus. Idcircò ſtatim in huius temporis principio, Sanctus prodit propheta Ioël, legem omnibus prædicatoribus præſcribens, nobiſque ex parte Dei mandans, vt vobis claſſicum intonemus: *Canite tuba in Sion.* Quaſi nobis diceret; Eia prædicatores, & Euangelij mei miniſtri, bellum publicate, conclamate, ad arma. Optimè propoſito noſtro nobis occurrunt illa verba, quibus olim fortiſſimus ille Dux Ionathas milites ſuos animauit. *Surgamus & pugnemus contra inimicos noſtros: non eſt enim hodie ſicut heri & nudiuſtertius: ecce enim bellum ex aduerſo.* Otio & ſocordiâ torpuerant hi milites elapſis proximè diebus; accidit verò, vt manè ſurgens generoſus ille Dux, videret accedentes inimicos, qui caſtra eius aggreſſuri, conflictui ſeſe offerebant: præcipit eis, quibus ex officio competebat, vt fortiter pleniſque buccis tubis inſonent; ipſe verò conuerſus ad populum, ſic ait: Eia fortes, eia milites animoſi, an non tubas clangentes percipitis? ad arma, ad arma. *Surgamus & pugnemus contra inimicos noſtros.* Attendite: hodie nos enim dies multùm differt ab heſterno; *Non eſt enim hodie, ſicut heri & nudiuſtertius.* Ecce ſeſe conſpectui noſtro audax offert inimicus: *Ecce bellū ex aduerſo*

D. AMB. Serm 36. in principio tom 5.

a Hom. 1. de ieiunio.

b Lib. de Elia c. 1.

Ioel 2. 1.

1. Mach. [illegible]

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſo. Proinde vnũ de duobus neceſſariò eligendum, aut vincere, aut mori: *Surgamus & pugnemus* &c.

Idem vobis dicit hodie S. Mater Eccleſia. Eia agite milites, ad regnum cælorum inuadendum conſcripti, tubas illas audite, ex Diuino præcepto clangentes, ad arma, ad arma. Surgite, ſeponantur modò voluptates, æternum valeant deliciæ, ceſſet temporis perditio: Diſſimilis enim valde hic eſt dies heſterno, & præcedenti: iam finem habeant, ea quæ ad tripudia parabantur, iam ſileat muſica carniuororum, & pariter commeſſationes, laſciuiæ, luxuria, gula, potus, eſus, quibus vos magis exhibuiſtis ſeruos Epicuri, aut cuiuſdam Heliogabali, quam Chriſti Ieſu diſcipulos. Omnes (loquente propheta) vult Deus ad bellum iſtud præparari, & omnes eius tuba prouocat, *Vocate cœtum, congregate populum, ſanctificate ieiunium, coaduñate ſenes, congregate paruulos, & ſugentes vbera: egrediatur ſponſus de cubili ſuo, & ſponſa de thalamo ſuo.* Sacerdotes & ſæculares, diuites & pauperes, viri & mulieres, quinimò nouiter deſponſati, ſenes & iuniores, nec omittantur pueruli ſuſpenſi ab vberibus matrum, *Sugentes vbera*; excipitur nemo, omnes vult in aciem prodire.

Errauit in hoc maximè Dauid, quod accedente tempore, quo ſolebant Reges in hoſtes ſuos infeſta ſigna proferre: *Eo tempore, quo ſolent Reges ad bella procedere*, in palatio ſuo manſerit otioſus, nihil de bello ſollicitus; & iuſta fuit eius negligentiæ pœna (ait D. Chryſoſtom.) Deum permittere, vt caderet tam enormiter, tam luctuosè, vt haberet quod totâ ſuâ defleret vitâ.

2. Reg. c. 11.

Hom. 3. in illud, Vidi Dominũ

Eia igitur; Chriſtiani, Ecce nunc adeſt tempus bellis inſtitutum, tempus, quod iam inde ab ipſis Apoſtolis, peccatores omnes conſueuerunt pugnis dedicare. Ad arma, ad arma. Omnibus illa loquitur tuba, & prouocat omnes. Vide, ne, ſi tempore hoc belli hæreas otioſus, non habeas, quod de cætero ſemper lugeas. Vt verò ſcias, quibus armis, his diebus debeas hoſtibus præualere, proponit nobis S. Eccleſia Euangelium, quod audiſtis; in quo ſupremus Dux noſter Chriſtus, nobis id primum aſſignat, vt manum ieiunio applicemus, nam ſic orditur, dicendo in Euangelio: *Cum ieiunatis.*

Et ex ratione (vt aiunt D. Baſil. *a* & D. Chryſoſtom. *b*) quando enim Deus hominem poſuit in paradiſo voluptatis, ſola & prima arma, quæ eius manibus tradidit, vt in illo perſeueraret, fuêre ieiunium, quòd ſi ea conſtans teneret, hæc ſufficerent; verùm ea manibus excidere permiſit, & comedit, ſicque victus fuit, & exul paradiſo. Hæc eadem nobis traduntur in manus, hæc primo loco, vt vincamus & reſtituamur paradiſo. Nec ſolùm hac in lectione nobis oſtendit hæc arma ieiunij, & cætera pœnitentiæ atque mortificationis opera, quæ ſecum bonum trahit ieiunium, quæ Diuus Paulus nominat, *Arma lucis.* At inſuper te docet quâ ratione ſit tibi cum illis ludendum, dicens, quod iſtud ſic fieri debeat; non proponendo oculis veſtris vt ſcopum, ſeu intentionem, hominum oculos, vt hypocritæ faciunt, ſed Dei ſatagendo his ſolis ſatisfacere, his ſeruire, his gratulari. Et quia (vt dicit D. Petrus Chryſol.) vt luceat ieiunium, neceſſario indiget miſericordiâ, vt lampas oleo ad ardendum, (*Quod eſt oleum lucernæ, hoc eſt ieiunio pietas.*) Ieiunio miſericordiam Dominus adiungit; & vt hilariter & abundanter præſtetur, te præmonet, id quod pauperi largiris, te minimè perdere; quinimò hoc ipſum ſolum eſt, quod tibi theſaurizas in cœlo. Doctrina hæc altiſſima eſt & ſuprema, quæ illuminatis explicari indiget oculis, Diuinæ gratiæ lucem; quæ huius eſt mater puriſſima, hanc nobis negotiabitur, ſi eam deuote flagitemus, dicendo: *Aue Maria.*

a Hom. 1. de ieiunio.

b Hom. 1. de pœnitentia.

Roman. c. 13. 12.

Serm. 8.

### §. 1. *Homo, vt lapis, in templo gloriæ collocandus, ex triplici parte expoliri debet, quod Christus nobis hodie in Euangelio proponit.*

VEnerabilis Beda multos conſcripſit tractatus, eoſque tam graues, pios & doctos, vt Britanniæ Epiſcopi determinarint, ipſo licet adhuc ſuperſtite, eos publicè in Eccleſiis, vt homilias, prælegi. Cùm verò decens non eſſet, aut congruum, viuenti adhuc nomen ſancti voce publica per Eccleſias aſſignari. Venerabilis cœpit nominari, quod ei nomen perpetuò adhæſit & deinceps Venerabilis nominatus. Inter hos tractatus, ſingularis exſtitit ille de Templo: in quo contendit exponere hiſtoriam, quam nobis ſcribit, narratque Spiritus S. de fabrica famoſiſſima toto terrarum orbe, templi Regis Salomonis, cum (teſte D. Paulo) hanc non ſcripſerit, niſi ad vtilitatem noſtram, ſicque ſub cortice litteræ, & hiſtoriæ, magna recondidit ad noſtram eruditionem ſacramenta. Propoſuit inclytus ille Rex ædificare templum percelebre, in Dei gloriam, hominumque ſalutem, voluitque illud extrui de lapidibus exciſis de lapicidina in deſerto. Ad hoc verò (ait Spiritus S.) *Numerauit octoginta millia, qui caderent lapides in montibus.* Eorũq; officium erat, eos in ipſa lapicidina cædere, expolire,

1 I.

Beda vnde dictus Venerabilis.

Rom. c. 15.

2. Paralip. c. 2. 2.

lire, adæquare, & per omnes partes elaborare, eô
planè modô, vt in templi ſtructuram delati, &
ſuô locô aſſignati, tam perfectè conuenirent, vt
nihil vltra in eis ſupereſſet elaborandum, aut ad-
nitendum. Hæcque cauſa fuit, eius quod Spiri-
tus S. maximè notat, quòd in tota illa conſtru-
3. Reg. c. 6. 7. ctione fabricæ templi: *Et malleus, & ſecuris, &*
*omne ferramentum non ſunt audita in domo cum*
*ædificaretur.* Nec mirum, cum eò lapides affer-
rentur tam ad normam perfectè dolati, vt nihil
vltra foret morandum, ſed pro vt afferebantur,
ſinguli ſuô locô collocarentur.

II. Magnum hic latet myſterium, (ait Venera-
Salomon bilis Beda) Res eſt luce clarior, ſapientiſſimum
figura hunc Regem Chriſti geſſiſſe figuram, qui pro-
Chriſti. poſuit ædificare templum gloriæ, de quo cecinit
Pſ. 28. 9. Dauid: *Et in templo eius omnes dicent gloriam.*
Heb. c. 11. Nemo namque poterat teſte D. Paulo, ædifica-
re templum, adeò magnificum, tantaque ma-
ieſtate ſplendidum, qui Deo & opibus cederet
& viribus eſſet impotentior, *Cuius artifex &*
*conditor Deus.* Voluit enim templum hoc ædi-
ficare Deus de lapidibus præciſis de lapicidina
Adam, quæ eſt in deſerto huius mundi, & ſu-
mus nos homines.

Numquam elatus eſt de lapicidina lapis adeò
inæqualis, tortuoſus, inconcinus, inutilis ad ædi-
ficium quique magis diſcongrueret operi, cæte-
riſque componi non pateretur, ſicut ex lapicidi-
na naſcimur Adami; homines mille peruerſis in-
clinationibus, & motibus deordinatis incom-
poſiti, rudes, prorſus templi gloriæ incapaces,
omni ex parte inelaborati, vt in eo collocemur.
III. Ad lapides illos elaborandū, adſcribit ſibi Deus
Templū mille lapicidas, ſcilicet nos prædicatores, vt o-
eius cælū pus hoc agamus ſecuri & malleo, verbo, inquam,
exprimit: Dei: hoc enim nomine Deus per Prophetam
Cap. 23. Hieremiam Verbum Dei appellauit: *Numquid*
29. *non verba mea, &c. quaſi malleus conterens petrā?*
IV. Hunc malleum, hanc ſecurim tradidit manibus
Dolandi noſtris, vt ait D. Paul. *a Dedit nobis miniſterium*
ſunt lapi- *reconciliationis*; Ad hunc effectum, & huius rei
des, id cauſâ ipſemet Apoſtolus, prædicatorum Cory-
eſt, ho- phæus ſe cæſorem lapidum fatetur, & declarat
mines. hoc eius eſſe officium, ad quod eum Deus in Ec-
a 2. Cor. 5. clesia elegerat: *Corripientes omnem hominem, &c.*
18. *vt exhibeamus omnem hominem perfectū in Chri-*
Ad Coloſſ. *ſto Ieſu.* Quaſi diceret; Cæſorem lapidum ago, la-
c. 1. 28. pides expolio, *Corripientes omnem hominem*, mu-
neris mei eſt corripere, arguere omnes, auferre
partes inæquales, prominentes, impolitas, inde-
terſas, perfectaſque formare ad Chriſti mentem,
vt in templo gloriæ collocentur. Cum omni ho-
minum genere hoc nobis agendum, omnes cor-
ripiendi, *Corripientes omnem hominem*: Eccleſia-
ſtici, & ſæculares nobiles & plebeij, diuites &
pauperes, ſuperiores & inferiores, Prælati & ſub-
diti, omnes corripiendi, vt omnem lapidē adap-
temus, planum, deterſum, perfectum, & ex omni
parte ſibi conſtantem, eô modô, vt rectè conue-
niat iis, quibus lateraliter deſtinatur coniungen-
dus; *Vt perfectum exhibeamus omnem hominem.*

Homo lapis eſt triangularis; ita cum philoſo- V.
phis docent Theologi, non ſolùm ob tres princi- Homo
pales animæ potentias, intellectum, voluntatem lapis eſt
& memoriam, quas habet; verùm etiam, quia ad triangu-
tres partes ordinem dicit, ſeu refertur: ad ſeip- laris.
ſum, ad Deum, ad proximum; & omnes, quos
committit defectus, ſeu peccata, referuntur ad
iſtas tres partes, ſeu reſpectus, ſicut optimè ad
rem probat Doctor noſter Angelicus *b*. Ad tri- b D. Th.
plicem hunc reſpectum præſcindi & perfici de- 1. 2. q.
bet hic lapis, adeò vt tam perfectè in omnibus 72. a. 4.
ſit expolitus, vt æqualiter cum cæteris conue-
niat. Quomodo verò hoc nobis agendum? Ap-
prehendenda manibus eſt ſecuris verbi Magiſtri
noſtri, quod nobis Eccleſia proponit hoc in E-
uangelio in quo loquitur Dominus, quid à vobis
requirat; & docet quâ viâ perfectè poſſis expoliri
in ordine ad tres illas partes, tria hæc tibi præ-
legendo: ieiunium, intentionem ſanctam, & elee-
moſynam, in his tribus deſcribitur Euangelium,
quinimò veſtra omnium ſalus, eſtque id omni-
no neceſſarium, vt ſitis, quod votis omnibus op-
tabat D. Petrus, *Tanquam lapides viui*, & in illo 1. Petr. 2.
gloriæ templo digni collocari: ieiunio enim per- 5.
ficeris in ordine ad teipſum; intentione bona, in
ordine ad Deum, & eleemoſyna cæteriſque mi-
ſericordiæ operibus reſpicis tibi proximum.

### §. 2. *Labor primus in ordine ad nos impenditur cum ieiunio, præſcindendo aſperitatem peccati.*

*CVm ieiunatis.* Optimum ad expoliendum
lapidem, principium: & ſecuriſſime labora- a Hom.
re incipimus ex illo latere, vt rectè pro- de ieiun.
bant D. Baſilius. *a* Diuus Chryſoſt. *b* D. Hier. b Hom.
*c* bene notantes primam huius lapidis inæquali- de pæn.
tatem ex eſu & ingluuie proceſſiſſe. Reliquit c Epiſt.
Deus hominem in paradiſo, vt lapidem optimè 22. ad Eu-
vndequaque manu ſua elaboratum, adeò vt nihil ſtoch.
aliud, quod ageret, haberet, quo poſſet de terre-
no illo paradiſo ad cæleſtem transferri, & in tē- Homo
plo gloriæ collocari: *Fecit Deus hominem rectū a.* a paradiſo
Verum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Per gulam ſuam perdidit rectitudinem.

Verum enim verò protulit hic lapis tubera, inæqualitates, factus eſt totus rudis & aſper, cuius defectus principium exſtitit gula, appetitus comedendi, quem homo ſolutis frænis liberè vagari permiſit, illum minimè rationi ſubdendo, vt debebat, ex quo tam inæqualis *a* rudis & hiſpidus euaſit, plenus inordinatis affectibus, vt non ſolùm indignus eſſet paradiſo cæleſti, verùm nec ipſo terreſtri diutius potiri meruerit, vnde eiecit illum Deus.

*a Eccleſ. 7. 30.*

II. Inde lapis, homo reparandus vbi defecit.

Adeſt Chriſtus, hunc lapidem reparaturus, modumq́ue præſcripturus quo expoliatur, omniaq́ue illa tubera præſcindantur, ſitq́ue perfectè cæleſti paradiſo adaptatus. Verum vnde conuenientius exordiendum, vt ad rectum ordinem redigatur, quam ex quo cœpit hic ordo deſtrui, & deuiare? Vbi primo laborandum, vt paradiſo collocari dignus habeatur, niſi vbi cœpit producere tubera; & qua fuit parte paradiſo eiectus? Peruerſus hic ordo ſumpſit initium ex gula, eaq́ue principium fuit, ex qua rudis aſperq́ue prodiit; ſumat igitur inde labor principium. Venit Chriſtus imponendo abſtinentiam, quàm neceſſarium ſit ieiunium declarans, vt res ſit credenda quaſi omni certitudine veracior.

*Cum ieiunatis.* Vides hic, vnde primum labor ſit inchoandus, ſcilicet, rectè, & in ordine teipſum diſponendo, macerando carnem tuam & teipſum rigoroſo ac ſtricto ieiunio. Admiratione digniſſima fuit illa viſio, olim Regi Nabuchodonoſor in ſomnis exhibita, eam referente Propheta, cui licet immerito, & homini idololatræ Deus plurima contulit beneficia, & ſomnus myſterio pleniſſimis inſtruxit, quibus tandem ad fidem conuerſus & æternum ſaluatus creditur à D. Hier. *a* D. Aug *b* & D. Epipha. *c* Inter diuerſa vero ſomnia, vnum fuit adeò terribile, vt eum ſummo horrore percuſſerit.

Daniel c. 4. 7.

*a Epiſt. 1. ad Lætam.*
*b Epiſt. 111. ad Victorium.*
*c In vita Damaſcen.*

III. Sõnium Nabuchodonoſoris narratur.

Narret ipſe quod vidit: *Videbam & ecce arbor, in medio terræ, & altitudo eius nimia. Magna arbor & fortis. & proceritas eius contingens cælum. Aſpectus illius erat uſque ad terminos vniuerſæ terræ. Folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius: & eſca vniuerſorum in ea, ſubter eam habitabant animalia, & beſtiæ, & in ramis eius conuerſabantur volucres cæli & ex ea veſcebatur omnis caro. Videbam in viſione capitis mei ſuper ſtratum meum, & ecce vigil & ſanctus de cælo deſcendit. Clamauit fortiter. & ſic ait: ſuccidite arborem, & præcidite ramos eius, excutite folia, & diſpergite fructus eius; fugiant beſtiæ, quæ ſubter eam ſunt, & volucres de ramis eius. Verumtamen germen radicum eius in terra ſinite & alligetur vinculo ferreo & æreo, in herbis quæ foris ſunt. & rore cæli tingatur, & cũ feris ſit pars eius in herbis terræ.* Perterruit hæc viſio Regem, & cogitationes eius, & viſiones capitis ſui conturbauerunt eum; clamat fortiter; adducantur Sapientes, Diuini, Chaldæi, Augures: Non eſt qui viſionis aperiat myſterium. Tandem adducitur Daniel, intrat Regis cubile, quem inuenit timore proſtratum, animo ſuſpenſum. Narrat illi Rex ſomnium, quod viderat; cui Propheta: ô Rex hoccine te proſternit, te ſuſpendit, te perterret? ſcito tuum in hoc remedium contineri, & quod ad tuam tibi eſt agendum ſalutem. Cenſet D. Hieron. in hoc Deum voluiſſe noſtrum ſignificare remedium; hic enim depictum oſtenditur, quid agatur in peccatore, & quid eidem ſit agendum in ſui remedium. Ex radice carnis veſtræ rebellis, & de malè ordinata concupiſcentia naſcitur in vobis arbor peccati: *Concupiſcentia cum conceperit, parit peccatum.* Procera adeò arbor eſt hæc, vt pertingat ad cælum; offendit enim ſummam Dei Maieſtatem, eiuſq́ue Angelos: *Aſcendit malitia eius coram me.* Ipſemet ait Deus, loquens de ciuitate peccatrice. Extenduntur rami eius vſque ad terminos vniuerſæ terræ: ab vno enim aliena rapuiſti bona; alteri honorem abſtuliſti: matrimonio iunctam ad inhoneſta perduxiſti, puellam offendiſti: viduæ fuiſti lapis offenſionis & petra ſcandali. Quieſcunt ſub vmbra eius animalia, id eſt, in anima veſtra peccata carnis impudicitia, gula, ira, vindicta, & volucres cæli plurimæ hic nidificant, quæ ſunt vitia à Theologis dicta ſpiritualia, ambitio, inuidia, ſuperbia, auaritia, vanitas, proximi contemptus, dolus, mendacia.

*In c. 4. Daniel.*
*Iacob c. 1. 15.*
*Iona c. 1. 2.*

IV. Homo ſimilis eſt arbori Nabuchodonoſor.

V. Arbor hæc eſt præſcindenda.

Quid remedij? interputetur arbor, præſcindantur omnes rami eius, diffugiant ab ea animalia vniuerſa, diſpergantur aues cunctæ, ne vna remaneat. Verumtamen radix viua remaneat in terra. Succidatur omne peccatum, cùm omnibus ramis ſuis & operibus, omninò exſcindatur peccatum, finemq́ue accipiat. Deſine modò, ô homo carnalis, ab iſta luxurioſa tua conuerſatione, finem impone, ô vſurarie rapax, vſuris tuis; ſufficiant ô iracunde rancores & odia, eiicito ô luxurioſe, ſcandalum illud, lapidem offenſionis, illam quam domi tuæ detines puellam: *Lauamini* (vrget Dominus) *mundi eſtote: auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis: quieſcite agere peruersè: Diſcite benefacere.* Hoc neceſſarium eſt, hoc prætenditur, *Iſte eſt omnis fructus, vt auferatur peccatum.* Hoc de cœlo vox illa intonat: *Succidite arborem, & præcidite*

*Iſa. c. 1. 16.*
*Iſa. c. 27. 9.*

*præcidite ramos eius*; Vt penitus peccatum deſtruatur & id omne quod ad peccatum trahit.

☞ 4 Coloſſ. 3. 8.

Hoc nobis indicat D. Paulus verbis optimè propoſito noſtro hodie ſeruientibus: *Nunc autem deponite & vos omnia, iram, indignationem, malitiam, blaſphemiam, turpem ſermonem de ore veſtro. Nolite mentiri inuicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis.* Primùm perpende hæc verba: *Deponenentes & vos omnia: expoliantes vos veterem hominem.* Hoc nobis innuit, id quod Propheta Samuel ex parte Dei Regi Saüli præcipiebat, vt totum deſtrueret regnum Amalec, internecione deleret omne viuens, flammis cuncta deuaſtaret. *Nunc ergo vade & percute Amalec, & demolire vniuerſa eius.* Verum ſeipſum perdidit infelix; quia opus aggreſſus, populum & animalia eſt demolitus, quæ minoris erant momenti: vitam verò Regi indulſit, & animalia craſſiora reſeruauit, incendio tradens viliora, à maioris pretij animalibus abſtinuit. *Pepercit Saul & populus Agag, & optimis gregibus ouium, & armentorum, & veſtibus & arietibus, & vniuerſis quæ pulchra erant.* Hoc ruinæ ac mortis eius cauſſam dedit. Hoc idem vobis mandat Apoſtolus, *Nunc ergo deponite & vos omnia: nunc ergo vade, & demolire vniuerſa.*

1. Reg. 15. 3.

VI. Saul, quia pepercit melioribus, reijcitur.

Tibi dico, ô Chriſtiane, vide quæ tibi Deus præcipiat, interfice cuncta, quę ad regnum peccati pertinent; *Succidite arborem & præcidite ramos eius.* Caue ne demoliendo viliora, Regi vitam concesſeris, & electiora ſeruaueris. Quid refert, quod accedente Quadrageſima ramos præſcindas aliquos itineris tui ad domum meretricis, ſi viua ſuperſit inordinata ad illam affectio, & mutuæ correſpondentiæ? Quis fructus, quòd ludo tempore illô abſtineas, ſi thoro non abſtineas inhoneſto? Quid emolumenti, ſi ſileant comœdiæ; & remaneant profanæ collocutiones, conuerſationes laſciuæ, murmurationes? Quid lucraris, ſi paulò citiùs lectulo exſurgas, vt in templum concionem auditurus feſtines, ſi in ciſtis tuis aliena bona cuſtodiantur? Attende, quid tibi de ſupernis vox illa pręcipiat. Non tibi ſufficiat ſparſim aliquos arboris ramos detruncare verùm totam exſcindas, cuncta diſpergas animalia, aueſq; fugentur; *Succidite arborem.* Præſcindito thori impudici arborem & ramos eius, litteras amatorias, nuntios, munuſcula; blandimenta, promiſſa, greſſus & regreſſus. Finem imponito periurijs, blaſphemiis, & ramis eius; frequentationibus phroniſteriorum, tabernarum, lupanarium. Silentium indicito diffamationibus proximi, & ramis eius, recedendo ex locis otioſæ conuerſationis.

VII. Ne hoc tu feceris.

Nota deinceps aduerbium hoc temporis, *Nunc autem.* Modo, ſtatim, abſque mora, quaſi diceret; aduerte temporis qualitatem, quod hodie incipit. Hoc maximè tibi conſiderandum hodie occurrat, tempus ſcil. quod inchoamus, tempus (inquam) maximè celebre, quod ſolemnius Eccleſia tranſigit. Et hoc eſſe credit (D. Ambr. a) de quo ad litteram loquitur Rex Dauid his verbis b, *Buccinate in Neomenia, tubâ, in inſigni die ſolemnitatis veſtræ.* Quænam eſt ſolemnitas propria peccatori? illa ſcilicet in quâ de pœnitentia agenda cogitat ad vitam ſalutemque animæ. Hoc eſt tempus Quadrageſimæ, quod hodie ordimur in ſonitu buccinæ, quæ per totam concrepat Eccleſiam per os Prophetæ Ioël: *Canite tubâ in Sion, ſanctificate ieiunium.*

a Lib. de Elia c. b Pſal. 80.

cap. 2.

Dies eſt ſolemnis, inſignis dies ſolemnitatis veſtræ. Multa feſta celebrat per annum Eccleſia in profectum noſtrum: verùm hæc omnia ab ipſa ſunt inſtituta, directâ & per Spiritum ſanctum inſpirata; attamen hæc inſignis ſolemnitas, quæ hodie cœpit, tanta eſt, vt communis ſit Sanctorum ſententia, illam ab ipſo Chriſto decretam & inſtitutam. Ita cenſuerunt D. Hyeron. D. Chryſoſt. D. Ambroſ. D. Aug. D. Petr. Chryſol. & alij quos in tractatibus noſtris retulimus, explicando, quomodo hoc Chriſtus inſtituerit, illis quadraginta diebus, quibus à mortuis iam reſuſcitatus cum diſcipulis ſuis eſt conuerſatus, antequam cælos penetraret, tum illis decreuit ea quæ bono Eccleſiæ ſuæ regimini expediebant, quam vocat regnum Dei; & hoc indicare voluit D. Lucas his verbis. *Per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei.* Inſtituit verò hanc ſolemnitatem ob plurimas rationes, quarum præcipuas declarat D. Paulus illis verbis, quæ D. Ambroſ. a credit ad litteram accipienda, quem ſequitur D. Leo b. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis.*

VII. Quadrageſima feſtum eſt ſolemne.

Tract. in Act. 1.

Act. 1.

a Lib. de Elia et ieiun. b Ser. 2. & 4.

Penſanda ſunt duo illa epitheta Quadrageſimæ aſſignata, quibus indicat inſtitutionis eius rationem: *Dies ſalutis, & tempus acceptabile,* Non minori curâ Deo fuit prouidendum ſaluti animæ noſtræ, quàm corporis noſtri ſanitati. Ad corporis valetudinem particulare tempus ordinauit, cum ſingularibus qualitatibus, ad valetudinem recuperandam, ſcilicet ver, à Spiritu ſancto per os Salomonis dictum: *Tempus ſanandi.* Quòd ſatis manifeſtè declarat textus Chaldaicus: *Tempus idoneum ad curandum ægrotum.* Licet verò procurari poſſit quolibet tempore valetudo, maximè tamen in vere poteſt hæc aptè reparari. Affligeris diuturna quartana febri, aut diſtilla-

Quadrageſima 2. Cor. 6.

VIII. Quadrageſima tempus acceptabile.

Eccleſ. 3.

ſatione doloroſa, aut ventris fluxu perpetuo, qui corpus debilitat, petis à medico te curari. Reſpondet; Domine, non eſt modo tempus, ſol nimium à nobis diſtat, breues ſunt dies, radij ſolares vix vllas habent vires, multi decidunt humores, herbæ ad curandum parua vigent virtute, tota ſe contrahit natura. Ver exſpectandum, tunc in Aprili & Maio, cum ſol propior nobis affulſerit, dies longiores, herbæ nouâ virtute germinarint, arbores fronduerint, omnia ad meliores qualitates diſponantur; tum bene Syropi lambuntur, venter euacuatur, aperitur vena, fomenta adhibentur, & ideo vocatur *Tempus ſanandi.* Tempus hoc inſtituit Deus ſanandi corporis, congruens erat, vt & tempus aliud inſtitueretur ſingulare, quo particulari cura infirmitatibus animarum inuigilaretur, & hoc eſt Quadrageſimæ tempus: *Ecce nunc dies ſalutis.* Quod ſi nullum ſit tempus, in quo quiſq; non teneatur animæ ſuæ infirmitatibus curandis inſuadare, habent tamen hi dies particulares magiſque congruas circumſtantias. Modò maiori ſtudio ac ſollicitudine prodeunt animarum medici ſpirituales, nempe prædicatores, Confeſſarij, de his rebus tractaturi; ſingulis namque diebus, nouas præſcribunt medicinas infirmis, ductas non ex Aphoriſmis Hypocratis, aut Galeni libris, verùm quas in ſuo Euangelio Christus medicinæ primarius profeſſor dereliquit, tradidit, ordinauit. Modò ſeſe accingunt, vt ægrotantium pulſum explorent, & quales ſint cordium eorum motus inueſtigent. Modò diligentiùs ſtudent vſurarijs aperiendo venam, pauperumque ſanguinem extrahendo, quem venis ſuis incluſum gerunt; Item & euacuando libidinoſos immundis repletos humoribus, vt foris eiiciant inhoneſtas omnes conuerſationes. Modò præparata ſunt fomenta obduratis, quibus cordis eorum durities emolleſcat, qui odio, vindictaque furunt in proximum. Modò pinguedo, adeps, oleumque applicantur, vt obſtructiones illæ alienorum honorum aperiantur, quibus arcæ veſtræ redundant; cùm vires vobis deſint, vt vel greſſum vnicum figatis in via charitatis, cùm captiuis, pupillis, viduis, puellis, afflictis omnibus. *Tempus cæleſtis medicinæ vocatur*, D. Ambroſ. (a) & D. Auguſt. (b) *dies ſalutaris & animæ medicinalis.*

D. Amb. a Serm. 17. tom. 5. D. Aug. b Serm. 55. tom. 10. IX.

Quadrageſima tempus eſt medicinæ.

Modò prodeunt prædicatores, vt feruentiùs Dei Verbum proponant; modò rem cordi capiunt Confeſſarij; modò ſingulari modo aperit ſuos theſauros Eccleſia, ſtationibus, & indulgentiis. Modò Diuina officia lachrymas & deuotionem conciliant; modò ſumma pietate cantatur, *Miſerere mei.* Modò in antiquis Eccleſiis, quin imò & modò in aliquibus vigent publicæ pœnitentiæ; modò in Rebuſpublicis optimè conſtitutis clauduntur recreationum domus, comœdiarum, ludorumque prohibentur voluptates. Omnia ad hoc collimant, vt infirmi animæ ſuæ ſtudeant ſanitati.

Eia, igitur, ô amici, nos ipſos ad hæc diſponamus; Eia prædicatores, ecce tempus, ecce dies ordinandi ſyropos, euacuationes, fomenta, ſanguinis extractiones, venarum ſectiones, vnctiones, cauteria. Eia Confeſſarij ecce tempus, ecce dies, quibus cum efficacia & virtute magna ſunt adhibenda remedia.

Aperiantur venæ vſurario illi, quem alienus ſanguis oppleuit; emundentur molles illi pepones, quos luxuriæ peccata corrumpunt; euacuandi opibus ad luxuriam pleni, qui ex nimia nummorum abundantia præfocantur; & lucrum pudori anteponunt. Fomentandum eſt obdurati pectus, & iracundi & vindictæ flagrantiſſimi. Eia peccatores corde ſincero veſtras hodie curare incipite calamitates, quod ſi modò curare veſtram ſalutem negligitis, æterna vobis eſt perditio formidanda. *Ecce nunc dies ſalutis, hoc ſolemne ieiunium, quod animabus corporibuſque curandis ſalubriter inſtitutum eſt.* Hoc auribus noſtris ſuggerit Eccleſia; hæc ſunt ieiunia, quæ in eum finem nobis à principio præſcribuntur, vt ait (D. Athanaſ. *Vides quid faciat ieiunium? Morbos ſanat, diſtillationes corporis exſiccat, dæmones fugat, prauas cogitationes expellit, corpus ſanctificat, denique ad thronum Dei hominem ſiſtit.*

D. Athan. Lib. de Virgin. ad Virg.

§. 3. *Magno myſterio vocatur tempus quadrageſimæ, tempus acceptabile, in quo melius, quàm in feſto Expiationis deſtruitur peccatum, eiuſque radix forti ieiunio conſtringitur, quemadmodum & illa Regis Nabuchodonoſor.*

Aliud epithetum tempori huic congruum dat Apoſtolus, *Tempus acceptabile*; & communis ſenſus habet, eum velle ſignificare, tempus meritò à vobis ſuſcipiendum, & apertis ambabus vlnis animæ complectendum, ſummô gaudio percurrendum, vt quid maximè à vobis deſideratum, & optatiſſimum, eo modo quo dixit D. Paulus de gra-

2. Cor. 6.

gratiſſimis illis nouis, quæ promulgabat, Verbum carnem factum, Filij Dei Incarnationem: *Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus.* Verùm D. Chryſoſt. a cui conſentit Magiſter noſter Angelicus D. Thom. b hic ad rem noſtram optime; vt intelligamus finem, in quem Chriſtus hoc tempus ordinauit: *Quid cogitas* (inquit) *quid ſignifices tempus acceptabile?* Tempus in quo peccatores in gratiam ſunt recepti, & cum peccatorum remiſſione admiſſi. *Acceptabile hoc tempus vocat, quoniam eos quoque, qui innumeris ſceleribus ſe obſtrinxerant, admittit. Tempus acceptabile*, ait D. Thom *id eſt, gratificationis.* Et idem ipſum eſt quod Rex Dauid tantoperè deſiderauerat, *Tempus beneplaciti.* Et Iſaias ab Apoſtolo Paulo relatus, *Tempus acceptum.* Et verè credo D. Paulum voluiſſe indicare, maiores gratias, fauores & dona, quibus Deus modo nobis occurrit, quàm populo ſuo antiquo Iudæorum.

1. *Timoth.* c. 1. 15.
a *Hom. in* 2. *ad Cor.*
b *in c.* 6. 2. *ad Corint. lect.* 1.
CHRYS. *Tom.* 1.
*Pſal.* 68. 4.
*Iſa. c.* 49. 8.

In veteri illa lege, vt rem ponderat D. Paulus, inſtituit Deus ſingulare feſtum, cæteriſque magis celebre; quod vocauit *celeberrimum & venerabile*, ad hoc præcisè ſancitum, vt in illo ſatagerent ſe à peccatis omnibus reddere puriores, ideoque voluit illud nominari Feſtum Expiationis peccati; *In hac die expiatio erit veſtri, atque mundatio ab omnibus peccatis veſtris, coram Domino mundabimini.*

*Hebr.* 10. 1.
Tempus Quadrageſimæ Feſtum Expiationis.
*Leuit.* 16. 30.
*Num.* 29. 7.

Et hanc inſtituti feſti aſſignat Deus rationem: ſi enim per anni decurſum ſint tempora particularia, inſtituta ad ea quæ hominum naturæ conueniunt, ad comedendum, ad cœnandum, dormiendum, ſeminandum, metendum, vindemiandum, arbores ſcindendas, fructus colligendos, fruteta purganda; plus æquo eſt, vt & tempus aſſignetur rei tanti momenti; quocirca *ſemel in anno*, ait Deus: introuertat ſe homo, animam ſuam perſcrutetur, ab immunditiis ſe emundet, curentur infirmitates, præſcindatur, expurgetur omne inutile & nociuum, & per aliam vitam homo renouetur. Vt verò hoc ex cordis intimis, & ſincerè fieret, aliis rebus minimè vacando, quæ hominem diſtraherent in diuerſa, decreuit hoc feſtum celebrari decimâ Septembris; in horreum iam collectâ meſſe panis, vini cæterarumque frugum; cumque nihil aliud ſeſe neceſſariò offerret peragendum. Quia verò emundare à peccatis animam, ſpectat ad pœnitentiam peccatoris, & Sacerdotum beneuolentiam, voluit Deus, vt omnes Sacerdotes ſeſe diſponerent, vt in illo feſto peccatores orationibus, & ſacrificiis adiuuarent, & præcipuè ſummus Sacerdos, cui vnico illô totius anni die fas erat intrare in Sancta Sanctorum, cùm totus adſperſus eſſet, & tinctas veſtes haberet ſanguine agnorum, caprarum, taurorum, & vitulorum, vt hoc ſchemate ſeſe Deo offerret afflictum & ſanguine manantem, pro cunctis peccatoribus ſupplicando. Peccatoribus autem (omnes enim erant) ſtatutum, vt illò die pœnitentiæ opera aſſumerent, idque ita ex animo & candidè, vt nemini licitum fuerit illô die, aut ridere, aut capite elatô incedere, aut lætitiæ ſigna dare; verùm eſſent omnes triſtes, collecti, omnes gemebundi, ſuſpirantes, lachrymoſi, capite incuruo afflicti, qui verò inueniretur effuſus in riſus, vel cachinnos, & mœſtitiæ ſigna non ederet, mortis reus damnabatur. *Affligetis animas veſtras in eo die: omnis anima, quæ in hac die afflicta non fuerit, peribit de populis ſuis* Num. 29. 7.

Ea autem mens Dei fuit, vt tam ſyncerè & viribus omnibus intenderent ſoli huic operi, vt nullum daret locum alienę occupationi, nec quidem permitteret, vt vel bolum cibi coquerent ad eſum, nec ignem accenderent in domibus ſuis; cura enim hæc peccatorum, totam ſecum rapere debebat animam: *Omne opus ſeruile non facietis in tempore diei huius: quia dies propitiationis eſt, vt propitietur vobis Dominus.* Ad hoc igitur inſtituit feſtum illud Deus ab ipſo dictum celeberrimum & ſolemniſſimum: ſi enim decurrente anno ſint tempora quædam rebus tuis curandis deſtinata: vepore campis, vineis, arboribus, pecorum gregibus: iuſtum eſt vt ſint & tempora curandis animabus aſſignata. *Semel in anno* Hæc verô hoc agebantur die: omnes iudicium cum Deo, & animâ ſuâ inſtituebant, ſtrictum quiſque offenſarum ſubibat examen, quibus toto illo anno Dei præcepta fuiſſet tranſgreſſus, proſtratus verò coram Diuina & ſuprema Maieſtate eorum omnium reum ſe confitens Dei exorabat miſericordiam; de cætero vitæ culparumque ſpondebat emendationem. Aderant tum Sacerdotes, pro illis Deum ſupplicantes, vt ipſis peccata remitteret, & miſericordiam impertiret. Quòd ſi in tempore illo legis mortuæ neceſſaria fuerit annualis illa feſtiuitas, quâ quiſque emundandæ animæ negotium aſſumere tenebatur; an par fuerit Deum in hac vitæ lege negligere præceptum ſimilis celebritatis, vt ſic eo volente, ſemel in anno quiſque emundandæ animæ totis viribus incumberet? Hoc poſtulat iuſtitia, ſic cogit neceſſitas, vt ſit in Eccleſia Chriſtiana tempus particulare, quod ſingulariter peccatis curandis, & ineundæ cum Deo vitæ rationi grauiter impendatur.

Num. 29.

Creuerant Abſaloni crines, *Grauabat eum cæſaries* 2. Reg. 14. 26.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*ſartes.* Vrgebat neceſſitas ſingulis annis tempus tondendis capillis aſſignari: *Semel in anno tondebatur.* Exprimunt capilli peccata, teſte D. Hyeronimo quæ quaſi de radice & capite carnis noſtræ enaſcuntur, & plus ipſis creſcunt capillis; *Multiplicata ſunt ſuper capillos capitis mei*: Ingemiſcit Dauid *a* adeoq́ue grauant animam, vt æquale pondus non inueniatur: *Sicut onus graue, grauata ſunt ſuper me. b* Deplorat idem Dauid. Vnius pondus peccati Angelici, cæleſtis illa machina ſuſtinere non valuit, nec ipſe paradiſus vnum inobedientiæ primi hominis, nec terra vnum rebellionis Datham & Abiron Leuitarum. Ratio requirit, & vſus habet, quotquot Domini alicuius bona adminiſtrant, ad minus ſemel in anno ſeſe reddendæ rationi diſponant; quomodo partes ſingulas diſtribuerint, expenderint, ſeruauerint, reſtaurandi damni ex integro alioquin obnoxij.

*In c. 3. Iſa*

II. Abſalonis cæſaries, id eſt, peccata ſemel in anno reſcindenda.

*a Pſal. 39. 13.*

*b Pſal. 37. 5.*

III. Similitudo.

Ecce quid Deus prætendat, qui nobis commendauit bona ſua, legem ſuam, fidem ſuam, ſacramenta ſua, ſanguinem ſuum, animam noſtram, intellectum noſtrum, voluntatem noſtram, & quidquid habemus, quæ omnia bona ſunt Dei, cuius hęc eſt intentio, vt ſemel in anno rationem ineamus & cum tabulis Diuinæ legis conferamus omnes partes operum noſtrorum, verborum ac cogitationum. Videat vnuſquiſque, vbi defuerit officio, quomodo Deum dilexerit, Diuinam eius fuerit reueritus Maieſtatem; quomodo nomen eius ſanctificauerit, quomodo feſta coluerit, proximo quomodo reſponderit, parentes tum carnales tum ſpirituales quomodo honorauerit; charitatem inter fratres quomodo cuſtodierit, eis non nocendo in honore, bonis, aut perſona; quomodo animam à carnis vitiis ☞ *c* integram ſeruauerit.

Vides ad quid ſpectet huius inſtitutio ſolemnitatis. Verùm non eſt obiter prætereunda optima ſors noſtra, quam his verbis declarat Apoſtolus: *Ecce nunc tempus acceptabile*; Quod ſignificat, ait D. Chryſoſtom. ecce tempus, in quo recepti ſumus ad gratiam, longè aliter quàm in lege veteri. In celebri, iſto expiationis feſto, quod in peccatorum purgationem ſanciebatur (loquente D. Paulo) nec ſacerdotes auctoritate pollebant ad remittenda peccata, nec ſanguis pecorum effuſus ad hoc ſufficiens erat. *Impoſſibile enim eſt ſanguine taurorum, & hircorum auferri peccata*: Nec quanta peccatores facerent in ſui remedium, ex ſe vim habebant ad plenariam peccatorem ſuorum indulgentiam conſequendam. Sicq́ue ſi ſcire deſideres (ait Apoſtolus) in quem finem deſtinaretur tota illa celebris, ſolemniſq́ue feſtiuitas? hæc ſtudia, afflictiones hæ omnes ad hoc valebant, vt ſinguli peccata ſua in memoriam reuocarent, eorumq́ue facerent publicam exomologeſin; *In ipſis commembratio peccatorum per ſingulos annos fit.* Hoc quiſque agere debebat, cum Deo computum inſtituere, & partium ſingularum rationem inire, in quarum ſingulis nemo non grauatus cenſebatur, deinde accuſare ſe harum omnium debitorem tenebatur. *Reuocatio in memoriam erat* (teſte D. Chryſoſt.) *id quod tunc fiebat, peccatorum erat accuſatio, non ſolutio, accuſatio infirmitatis, non oſtenſio virtutis.*

*2. Cor. c. 6. Hom. 12. eiuſq.*

*Hebr. 10. 4.*

IV. Qualis fuerit vetus illa peccatorum expiatio.

D. Chr. *Tom. 4.*

Erat (docente D. Thoma) Confeſſio quædam, quâ quiſque debitum ſuum erga Deum fatebatur, nec illum tamen abſoluebant ſacerdotes, nec ſacrificia liberabant, nec ipſorum lachrymæ ſe ad tam præclarum effectum pertingebant. Verum enim verò in hac noſtra celebri feſtiuitate Quadrageſimæ: *Ecce nunc tempus acceptabile.* Admiſſi ſumus nos & computus noſtri, cum gratia & remiſſione debitorum. Proh! quàm bene cum œconomo ageretur, qui ad reddendam rationem accedens miniſtro Domini eius occurreret, qui plenariam illam recipiendi haberet poteſtatem, in tantùm ad ſui emolumentum, vt auditis rationibus, & viſis codicillis, illô manente grauatô debitis infinitis, hæc ei diceret; grauia ſunt, quibus opprimeris, debita, eaq́ue tanta, quod ſi & te & bona tua venderemus, nec ſic poſſes pro minima parte ſatisfacere, nedum integrum ſoluere. Attamen hæc tibi omnia remitto. Anne hic ſanè non maximè felix! an non verè dixerimus eum in tempore illo acceſſiſſe, quo recipi potuit in gratiam? In lege Moyſi omnium erat cura, his diebus Expiationis computus ſuos Deo exponere; verùm tempus erat triſte, tempus iuſtitiæ, inuentis enim debitis infinitis nullum ex eis remittebatur vigore eorum, quæ tum agebantur, nec orationibus ſacerdotum, nec ſacrificijs, oblationibus, nec aſperſione ſanguinis vaccæ rufæ, quæ tum ſingulariter offerebatur, Deoq́ue immolabatur, nec cæteris cæremoniis intercedentibus; omnia hæc adhærebant homini, & grauabant debitum peccatoris, cum obligatione ſoluendi pœnas æternas, ſi hic aut non ſolueret, aut non ſatisfaceret.

V. Similitudo.

Nec ſimiliter valebant miniſtri vel vnum atomum remittere eorum, quæ Deo debebantur, pauperes erant, & vel vnicum idq́ue minimum abſoluere peccatum impotentes, hoc ipſis adhærebat irremiſſibile, eratque ſoli Deo reſeruatum. Nunc autem: *Ecce tempus acceptabile.*

VI. Qualis verò nouæ legis ſit expiatio.

O beatum tempus à Deo conſecratum quô conſtitutos habet ſuos miniſtros ſacerdotes approbatos, qui nobis rationes noſtras exponentibus, licet millenas & millenas ſcedulas inueniant obligatorias, noſque grauatos debitis excedentibus numerum arenæ maris, nos omnibus his abſoluant, & ex toto remittant. Quid huic poteſt conferri felicitati? vt auditis omnibus veſtris rationibus, id eſt, peccatis, viſiſque codicillis, & repertis debitis tam grauibus, vt nec tu ipſe, nec omnes Angeli cælorum, nec omnes terrarum homines ſufficienter poſſint ex iuſtitia ſoluere eorum vel minimum; auditô vnô, *Ego te abſoluo*, supernâ prolatum auctoritate, vi verborum, cuncta veſtra delicta deleantur.

O ſi, qui Principum, Regumque ac Prælatorum curant bona, tales inuenirent miniſtros, quibus computus ſuos exponunt, vt omnes remitterent ſchedulas, & debita condonarent. Hæc eſt, ita hæc eſt optima ſors noſtra, ita hæc eſt noſtra feſtiua celebritas, in qua tripudiat præ gaudio cor noſtrum. Ita hæc eſt feſtiuitas, quam (ſicut præfati ſumus) Propheta regius annuntiando, ita exorditur. *Exultate Deo adiutori noſtro, iubilate Deo Iacob &c. in inſigni die ſolemnitatis veſtræ.* In celebri Iudæorum feſtiuitate, orabant ſacerdotes, minimè vero abſoluebant, ingrediebatur in Sancta Sanctorum ſummus Pontifex, egrediebatur autem vacuis manibus. Nunc autem non ſolùm preces fundunt, ſed & abſoluunt efficaciter ſacerdotes. Summus Pontifex, qui & Papa, aſperſus non ſanguine taurorum, hircorum vel arietum, at diſpenſationem habens ſanguinis pretioſi ipſius Filij Dei, eius meritorum, & Sanctorum ſatisfactionum ingreditur Sancta Sanctorum, theſauros Eccleſiæ infinitos eoſque plenis manibus communicat, concedendo Indulgentias, quæ nobis ſingulis diebus offeruntur ſanctas obeundo ſtationes: ita vt per abſolutionem peccata, & reliquiæ pœnarum per Indulgentias remittantur.

Pſ. 80. 1.

Tale igitur, ait Apoſtolus, cum vobis tempus concedatur: *Nunc autem deponite & vos omnia: ſuccidite arborem & ramos eius.* Nunc verò, q. d. per totum annum inceſſiſti animam tuam peccatis inquinando, vt eam redderes equorum ſtabulum & fœtidiſſimum ſterquilinium, cubile draconum, ſerpentium, ſcorpionum, auaritiæ (inquam) ambitionis, ſenſualitatis, impudicitiæ, iræ, inuidiæ, rancoris &c. arborem peccati excreſcere adeo permiſiſti, vt ad cælum vſque pertingat Diuinam iram prouocando, arborem, inquam, peccati, cuius malitiæ rami ſe extendant per vniuerſos terminos orbis terrarum; quandoquidem, quidquid tibi ſuggeſſerit appetitus inordinatus, hoc illico opere compleueris. His Baccho conſecratis diebus, vt Epicurus vel Heliogabalus vixiſti, toto impetu effrænis in omnia libertatis & laſciuiæ genera, velut ſenſus omnis & inops rationis; *Nunc autem*, nunc igitur, nouo hoc tempore, *nunc autem* cùm dies ſolemnitatis noſtræ celebraturi accingimur, ad hoc inſtitutos, vt de expiatione agamus animæ veſtræ, eam perſcrutemur, & ab omnibus peccatorum ſordibus emundemus. *Deponite & vos omnia*, Velle videtur Apoſtolus coniungere ſuum (*Nunc autem deponite & vos omnia*) illi verbo prophetæ Ioël, quod in Epiſtola legimus: *Nunc ergo hæc dicit Dominus: Conuertimi ad me in toto corde veſtro, in ieiunio & fletu & planctu: ſcindite corda veſtra.* Et ambo illi voci de cælo: *Succidite arborem* Nunc ſuccidito, ô impudice, laſciuam amicitiam, & tu ô leuicule tuas contrahito libertates. Tu autem ô auare, tuæ finem imponito auaritiæ. Manum remittito, ô vindictæ cupide, veſtris legibus duellorum. Tu quoque murmurator à detractionibus parcito linguæ: *ſuccidite arborem.* Nunc autem ſatage ex tota mente arborem peccati ſuccidere; radix autem caro tua viua ſuperſit. *Radicem eius in terra dimittite:* Non enim licet eam nobis occidere, ſed teſte D. Chryſoſt. alliganda eſt vinculô fortiſſimô æris & ferri, id eſt. ſtrictô ieiuniô, integrô rigoroſô quod de facili ob leuem cauſſam non frangatur; non tale ſit, quale obſeruatis, non ex ferro, ſed ex lana, quæ extenditur & attrahitur & qualibet occaſione ſummâ facilitate dirumpitur. Ieiunia, (vt ait D. Aug.) quæ non ſolùm carnē non macerant aut mortificant, verùm eam colunt opiparè, recreatâ mille condimentis; adeò vt maiori tibi curæ ſint corporis deliciæ diebus ieiunij, quàm illis, quibus ad ieiunium non adſtringeris; quaſi ad hoc eſſet ieiunium inſtitutum, vt ex eo corpus accreſcat, & nimia ſollicitudine vegetius inſoleſcat.

Ioel 2. 12.

VII. Exhortatio ad meliorem vitæ frugem.

Homil. 14 in Epiſt. ad Roman.

Serm. 71. & 73. de diuerſis Tom. 10.

## §. 4. *Oſtendunt nobis Niniuitæ quomodo ſit agenda pœnitentia.*

VIſionem iſtam Regis Nabuchodonoſor clariſſimè perſpicimus expletam in Niniuitis, de quibus aiunt (Diuus Baſilius *a* & Diuus Ambroſius *b*) quod Deus illos poſuerit; & quaſi tam admirabilem acceptamque decreuerit hiſtoriam de eorum peccatis atque pœnitentia, vt eam voluerit; propheta Ionas conſcribe-

a Homil. in diuers. b Serm. 40.

ret; vt & nobis contingat optima illa ſors, & qui illis ſimiles ſumus in peccatis, ſimus & in

D. BAS. I. — pœnitentia. *Fœnitentiam illorum* (ait D. Baſil.) *ad communem vitæ doctrinam Diuinus ſermo ſcriptis mandauit.* Primò nobis propheta depingit

Niniuitarum malitia deſcribitur. — vrbis huius ac totius populi peccati arborem, tam procerum, vt pertingat ad cælum: *Malitia eius aſcendit vſque ad cælum.* Ita enim ſemper legit D. Chryſoſt. hoc quod noſtra vulgata lect o

Ionæ c. 1. In hom. quid nemo lædi tur [illegible] 30. in Geneſ. — habet: *Aſcendit coram me.* Volens Deus his (inquit Chryſoſt.) verbis exprimere altitudinem grauitatemque peccati, quæ tanta ſit, vt pertingat ad cælum; quaſi quis dicat, non potuit altius aſcendere; ſicut illi, qui conati ſunt ædificare turrim in Babel, ſummum, ad quod credebant, eam poſſe pertingere, hoc erat: *Cuius culmen pertingat vſque ad cælum*

Gen. c. 11. 4. — Erat pariter & arbor hæc tam latè extenſa, vt ramos ſuos ad vniuerſos terminos terræ protenderet, ſicut eam deſcribit

Cap. 3. 1. — Prophetà Nahum, quæ ab eo ſic vocatur: *Ciuitas ſanguinum, vniuerſa mendacij.* Adeoque idolis redundans, vt dicat, quod ipſa ſola ſimul tot haberet idola, quot in reliquo orbe terrarum vbiuis eſſent diſperſa, hiſque omnes terrarum populos infecerat, atque in æternum perditos detinebat, facta lapis offenſionis & petra ſcandali, &

Ibi c. 3. Nahum. — hoc eſt quod ſtatim adiungit: *Vendidit gentes in incantationibus ſuis, & familias in veneficia.* Vt declarat Theodoretus.

Eritne huic ciuitati remedium? Erit planè. Intrat Ionas, prædicat, oſtendit illis vindictam & ruinam, quæ iam nunc ſuper illos decidenda erat; Illis ſententiam denuntiat, vt alter Angelus Nabuchodonoſor. Ingreditur Ionas prædicando, comminando, prædicendo:

Ionæ c. 3. 4. — *Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur.* Contremiſcunt omnes, corda turbantur, de remedio cuncti

II. Niniuitarum pœnitentia. — tractare decernunt veram pœnitentiam amplectendo. Ilico videbis quòd primùm ſuccidant totam arborem cum ramis ſuis, ceſſet peccatum cum omnibus eius ſpeciebus atque operibus. (Ita notat D. Chryſoſt.) expendens verba Spiritus S. *Conuerſi ſunt vnuſquiſque à via ſua mala.*

Homil. 4. in 2. ad Corint. ad finem & Hom. 5. ad populum. — Clariſſimus modus declarandi, quomodo peccatum præſcindatur: nemo enim magis ex animo poteſt relinquere iter quod ingrediebatur, quam reuertendo ad contrarium, & priori oppoſitum. Hoc (teſte Spiritu S.) egerunt Niniuitæ; reuerſi ſunt retrorſum ex ſuo itinere, non ſolùm, non vlterius ſunt progreſſi in via peccatorum, verùm contrarium omnino iter arripuerunt. *Conuerſi ſunt.*

Si optimus ſit hic modus peccati arborem præſcindendi, eam phraſi ſubtili declarauit D. Paul. in praxi illum ſpecificando *Deponentes mendacium, loquimini veritatem, &c. Qui furabatur iam non furetur, magis autem laboret operando manibus ſuis, quod bonum eſt, vt habeat, vnde tribuat neceſſitatem patienti Sermo malus ex ore veſtro non procedat, ſed qui bonus eſt ad ædificationem fidei, &c. Omnis amaritudo, & ira & indignatio, & clamor & blaſphemia tollatur à vobis cum omni malitia. Eſtote autem benigni, miſericordes, donantes inuicem.* — Epheſ. c. 4. 25.

III. Ieiunium Niniuitarum. — Non ſufficiebat Niniuitis arborem præſcindere peccati; ſed ad radicem ſcilicet eiuſmem ſuam, appoſuerunt vinculum fortiſſimum ex ferro & ære, vt illam affligerent, ieiunium dico fortè, rigoroſum, vniuerſale, quod omnes ad ſui obligationem conſtringeret, & velut circulo ferreo coarctaret. Tale autem fuit hoc ieiunium, quod Rex promulgauit ex propria perſona, ſuorum Principum & totius Regalis Concilii auctoritate: *Homines & iumenta & boues & pecora non guſtent quidquam, nec paſcantur, & aquam non bibant, & cooperiantur ſaccis homines & iumenta, & clament ad Dominum in fortitudine.* — Verſ. 7.

Attende primùm magnum hunc circulum, qui omnes conſtringat, Regem ipſum, Principes, plebeios, viros, mulieres, ſenes, iuniores, pueros, boues, iumenta, oues, & pecora. Vidiſtin' circulum tam extenſum, & qui tot conſtringat, & coarctet tantos? Verum ieiunium eorum perpendas velim, tam forte tam ſtrictum; ſic vt nec homines, nec animalia guſtent quidquam ad eſum pertinens, nec bibant quidem vel guttam aquæ. Tota refectio deſcribitur in comedendo, & bibendo: ex eſu minimum eſt, quidquam guſtare; ex potu guttam aquæ. Tantum abſunt à comedendo, vt nec guſtent quidquam cibi, *Non guſtent quidquam*; itidem à bibendo, vt nec aquæ guttam lambant; *Aquam non bibant.* Hoc eſt, tale ſit ieiunium, vt nec imaginatio quidem ſit comedendi aut bibendi, macerationi carnis ſuæ ſolùm intendant. Huic ieiunio ſuperextenditur cilicium aſperum, lamenta triſtia, planctus lachrymoſi, funeſta ſuſpiria, & clamoroſi eiulatus.

Admirabilem valde deſcriptionem ediderunt D. Baſil. *a.* & D. Chryſoſtom. *b.* pœnitentiæ perditę huius ciuitatis. Seniores crinium ſuorum canitiem conſperſione cineris adaugebant, fame marcidi, aſpero contecti cilicio, puſiones vbera ſugentes plorabant, huc illucque ſe vertentes matrum ſuarum vbera conquirentes, & hi ſaccis pro panniculis inuoluti. Delicatæ domicellæ decolores, exeſæ, & veſtium loco opere

a *Hom.* 2. *in diuites* b *Hom de Iona,* & *Hom.* 1. *de pœnit.*

 pluma-

IV. Niniuitarum pœnitentia deſcribitur.

plumario textarum, ſerico & auro grauidarum, videas illas modò aſpero cilicio horridas; capillos illis flaueſcentes & aureos, modò cinere ſordidos: boues, vaccæ mugiunt, balant oues, agnelli balatibus ſuis replent aëra: quid plura? Omnes cinericij, cilicini omnes, magnis eiulatibus funebrem triſtemque planctum emittentes; Ita hoc eſt fortè & bonum ieiunium. Idcircò eos Chriſtus viros vocat: *Viri Niniuitæ.* Quid ergo, nec mulieres erant, nec pueruli? Erant quidem; verùm ex natura tales, ieiunii & pœnitentiæ fortitudine omnes viri cenſeri merebantur, & erant; aggreſſi ſunt enim pœnitentiam fortiſſimam, & ieiunium ſtrictiſſimum ferro & æri conferendum.

*Matt. c. 12 41.*

V. Admonitio ad pœnitentiam.

O amici, iudicate, ſi iuſtum eſt, cum illis pares ſimus in ſceleribus, ſimus & pares in pœnitentia? Quæ ſunt ſcelera noſtra? An non aſcendit malitia noſtra in cælum? O quantum Dei iram irritauimus! An non ſeſe proteruia noſtra extendit ad terminos terræ vniuerſos! Quod ſcelus non commiſiſtis? quas impudicitias? quas laſciuias? quas leuitates? quæ iuramenta? quas blaſphemias? quæ odia? rancores quos? crudelitates quas, dolos atque mendacia? Verumtamen quam longè diſparem agimus pœnitentiam? Quis eſt, qui tam rigoroſum aſſumat ieiunium? Omnes nos excuſamus: ſenex, quia talis eſt; iuuenis, quia properat ad ſenectutem; hic quia ætate anniſque prouectior, ille quia ad illos ei perueniendum; vnus, quia ei deficit proſpera valetudo, alter ne illam perdat; vna, quia lactans, altera, quia prægnans, aut deſiderat inprægnari. Quis ille, qui aggrediatur ieiunium tam validum? qui carnem maceret aſperô ciliciô, duráque caſtiget diſciplinâ? Idcircò autem noſtræ carnis radix manet tam parum alligata ac mortificata, vt eodem planè modo germinet peccatorum ſtolones in Quadrageſima, quo extra illam, aliove tempore germinaret.

### §. 5. *Ieiunium, debet eſſe forte, vt antiquitus, & diſcretum, vires veſtras bene perpendendo ſecundum Prælati iudicium.*

☞ Maiora inſuper vinculum illud continet myſteria & magna comprehendit illud, quod ex ære ferroque conſtare debeat. *Alligetur vinculo ferreo & æreo.* In S. Scriptura & præcipue hoc loco, & in alia viſione quam habuit Rex Nabuchodonoſor quamque illi exposuit Daniel, ferrum ſymbolum eſt fortitudinis; ita fatus, explicando pedes ferreos illius ſtatuæ, qui Romanorum ſignificabant Monarchiam; quia ſicut ferrum omnia domat & comminuit, talis futura eſſet Romanorum poteſtas, quæ cæteras omnes ſibi ſubiugaret nationes. Æs verò hieroglyphicum eſt ſapientiæ; ita D. Hieron. *a* D. Auguſt *b* D Gregor. *c* quia ſonorum eſt: *Æs eſt vocaliſſimum*, ait D. Hieron. *d* & eâ phraſi declarat ipſe Daniel ſtatuæ ventrem ex ære ſignare Græcos, qui toto orbe vt ſapientiſſimi colebantur, de quibus ait D Paul. *e. Græci ſapientiam quærunt.* Duæ ſunt ieiunio neceſſariæ qualitates, prima: vt ſit ex ferro in duabus rebus; vna ſit, vt carnis domet petulantiam & mortificet, & affligat vehementer. Secunda, ne de facili, leui ex cauſſa frangatur. Conqueritur D. Ambroſ. vt vidit quamlibet nos arripere occaſionem frangendi ieiunium: hunc ob nimios calores, quibus ait ſibi vires reſolui; illum ob intenſum frigus, cui neceſſarium eſſe affirmat per eſum vires reparare; alium, quia capitis patitur vertigines, quæ eum placidè dormire non patiuntur; alterum ſtomachus debilis afficit, & numquam, vt quereris, deſunt tibi prætextus, ſeu friuolæ rationes, diebus Veneris & Quadrageſimæ non ieiunandi.

*a In c. 2. Dan.* *b Serm. 101. de tempore.* *c L. 32. Moral. c. 20.* D. Hier. *d Tom. 1.* *e 1. Cor. 1. 22.*

I. Duæ ieiunij qualitates. *Serm. 39.*

Quis modo conſideret, quàm fortiter olim Chriſtiani fideles obſeruarint hæc ieiunia. Refert D. Hieron. de Sancta Paula, quòd infirma & grauiter quidem, non ſolùm non potuerit à medicis eò adduci, vt ieiuniô abſtineret, ſed nec quidem vt vel vnam vini guttam biberet. D. Gregor. *h* ex occaſione laudandi. S. Monachum Eleutherium, narrat de ſeipſo, quod cum in periculoſum morbum tempore Quadrageſimæ incidiſſet, cui ſæpè ſæpiùs deliquia accidebant, quibus medendis, qualibet hora ſumere tenebatur cordis confortatiua: *Niſi me fratres frequenter reficerent, vitalis mihi ſpiritus funditus intercidi videbatur*; Lachrymari cœpit, non ob corporis infirmitatem, & pectoris oppreſſiones: verum quia illi deficerent vires ne ieiunans perſeueraret. Quocirca ad ſe euocauit S. Eleutherium, de quo intellexerat, quòd orationibus ſuis mortuum ſuſcitaſſet ad vitam, cumque totus lachrymis infuſus rogabat, vt pro eo apud Deum ſupplex intercederet; Non migi (inquit) dolores auferat, aut tollat ægritudinem, ſed ita dolores temperet, & morbum mitiget, vt ad minis poſſim ſeruare ieiunium, vel aliquo die, ſi ſic ei placuerit, factumque eſt ita, obtinuit hoc illi

*g Epiſt. 27. ad Euſtoch.* D. Gre. *h Lib. 3. Dialog. c. 33.*

II. Quam rigoroſè fuerint olim ieiunia.

illi S. Monachus à Deo, quo mihi teſtor, ait D. Gregor. omnis pœna deinceps ſuperſedit. Non erat, ſic confirmat D. Baſilius, aut Princeps aut Nobilis, aut ſenex, aut adoleſcens, aut vir aut mulier, aut dux aut miles, qui non tam integrè & mente hilari quadrageſimæ dies obſeruaret, vt vel vna vidua. Moris erat, quem notat D. Chryſoſt. vt is qui ieiunium ſeruare non poſſet, domo egredi non præſumeret; & error videbatur intolerabilis & libertas minimè ferenda, ſanos ſe oſtendere ad negotia & corporis oblectamenta, ad ieiunium verò viribus deficientes.

*Hom. 1. & 2. de ieiun.* — *Hom. 10. in Gen. 5.*

**III.** *Excuſationes vanæ repelluntur.*

Non ſicut nos: multos enim eſt reperire cæteris rebus ſanos & integros, ſoli ieiunio infirmos & debiles; ſuis profanitatibus ſatis bene valens eſt decrepitus ſenex, & illis exequendis ſe iuniorem oſtendit. Sufficiunt adoleſcenti vires ſuis laſciuiis, nocturniſque diuagationibus grauiori ferro onuſto, quàm equus validus ſufferret. Officialis robuſtus ſuis curandis bonis, mercator ſuis diurnis itineribus, & diſcurſibus per varias mundi plagas; & vt vnicô verbô plura dixero, omnes luſibus, iocis, vanitatibus, traductioni temporum, & quibuſcumque rebus, quas proſequi intendunt, valentiſſimi, ſoli autem ieiunio tenues, macilenti, exhauſti, & prætextus diſtillationibus, humoribus, defluxui, ſtomachi debilitati imputatur.

Maximè conueniret ſic ſuadente D. Leone, & prior illô ſic D. Auguſtinus iudicauerat, vt qui ad ieiunium habetur impotens, ſeſe ſubtrahat, & ploret, vt cui vires ad peccandum ſuffecerint, & ad ieiunandum modò deficiunt, rubore perfundatur, cum ſeſe inter ieiunantes aſpiciens, ipſe fortioribus his armis nudus inueniatur. *Qui ieiunare non valet*, (hortatore D. Auguſt.) *cum gemitu & ſuſpiriis, & animi dolore manducet, pro eo quod aliis ieiunantibus, ipſe abſtinere non poteſt.*

*Serm. 2. de Ieiunio 7. menſis.* — *D. Aug. Serm. 61. de tempore 10.*

**IV.** *Ieiunandi modus antiquus.*

Non comedebant niſi valde ſerò, & poſt ſolis occaſum, vnde dictum fuit, quod diebus ieiunij, cœnarent; & hoc poſtquam integrum quaſi diem impendiſſent ſacris officiis audiendis orationibus & eleemoſynis: vt tradunt D. Ambroſ. *a* & D. Aug. *b* Sic inſtituit S. Syluerius Papa & ordinauit Concilium Cabilonenſe *c* quod declarat, vt nullo modo habeatur ieiunio ſatisfeciſſe, qui hanc horam cœnandi præueniſſet, cuius hanc deſignat rationem. *Concurrendū eſt enim ad miſſam, & auditis miſſarum ſolemniis, & veſpertinis officiis, & largitis eleëmoſynis ad cibum accedendum.* Huic conuenit relatum à D. Thom. decretum Concilij Chalcedonenſis in hæc verba. *In Quadrageſima nullatenus credendi ſunt ieiunare, qui ante manducauerint, quam veſpertinum celebretur officium.* Quin & modò, vt eius rei memoriam recolat Eccleſia, in more habet dicere veſperas ante prandium. Et narrat D. Auguſt. quod Romæ & Mediolani viderit ſeruari ieiunium, vt multi non cœnarent de triduo in triduum; nec ſolùm viri, ſed & mulieres.

*a Ser. 33. b Serm. 55. & 78. de temp. & l. de moribus Eccleſ. c. 5. D. Syluer. c Cap. 5.* — *D. Thom. 2. 2. q. 147. a. 7.* — *Lib. de moribus Eccleſ. citato.* — 9

Cæna verò communiter ſolis fructibus conſtabat, & iis quidem minoris ſubſtantiæ, ſeu alimenti; abſolutè autem piſces remittebantur delicatiores, maiores & vegetiores; ſolis verò infirmis concedebantur *piſciculi viliores*, idque de gratia & indulgentia ſpeciali, vt patet ex Concilio Gerundinenſi *a*, & Concilio 4. Toletano. *b* Non permittebantur cupediæ, nec vini potus, nec mellis eſus, ſicut optimè ad rem tractarunt D. Clemens Papa. *c* D. Chryſoſtom. *d* D. Hieron. *e* D. Cyril. Hieroſol. *f* Ex quo vt notant D. Baſil. *g* & Ambroſ. *h*. Dicebatur quadrageſimæ tempus: *l eſuies coquorum*: Quia totô illô tempore non neceſſe erat coquinam intrare, nec curam habere de condimentis delicatis; de quibus egimus in noſtris Tractatibus *i*. In abſtinentia verò à carnibus quantus ſeruaretur rigor, quis nobis dixerit? Refert hiſtoriam Nicephorus Caliſtus *k* annô quôdam Conſtantinopolim tam graui oppreſſam fame, vt in ea deficerent omnes cibi quadrageſimales. Viſum fuit Imperatori Iuſtiniano, extremam adeò neceſſitatem à lege ieiunij abſoluere, nec in tanta rerum inopia poſſe ſeruari præceptum; quocirca præcepit carnes ad emendum exponi. Mandatum hoc Imperatoris populus tam grauiter accepit ac indoluit, ut non ſolùm non eſſet qui carnes emeret, inſuper vniuerſi Imperatorem adierunt proteſtati ſe malle fame emori, quàm carnes tempore quadrageſimæ manducare; do vobis auctoris verba: *Mortem ſibi potius adeundam eſſe cenſent, quàm vt quidquam de patriis moribus & traditionibus mutarent.* Siquis verò infirmitatis gravitate preſſus ad eſum carnis teneretur, auctore D. Auguſt. hac tam ſecretò veſcebatur, vt nullus eum videret edentem, quaſi rem rubore dignam patraret: & hoc ita fiebat, vt ægroto non darentur aues aut delicata iuſcula, quæ palato ſatisfacerent, ſed ſola ſimplex caro, quæ ſeruiret neceſſitati.

*a Cap. 3. b Can. 9. c L. de Conſtit. Apoſt. c. 7. d Hom. 8. ad populum. e In Epitaphio Paula. f Catecheſi 3. g Hom. de ieiun. h Lib. de Elia. i Tract. 2. p. 1. n. 113 & ſeqq. NICEP. k L. 17. hiſt. Eccl. c. 32.*

**V.** *Exemplū de ieiunij ſtricta obſeruatione mirabile.*

*Serm. 62. de tempore.*

Simile huic quiddam egit Magnus Rex noſter Dominus Iacobus Conquiſitor, cui cùm præciperetur eſus carnis in quadrageſima, & diebus Veneris, vrgente maxima neceſſitate, comedit fruſtum vnum arietis, ſale non cocti, vt minùs eius guſtui ſaperet eſus carnis quàm quilibet

libet alius quadrageſimalis cibus. His noſtra velim opponas ieiunia; qualia ſunt? quàm longè ab his diſtant? quàm facilè, & leui occaſione illa omittimus? quo die autem ieiunamus, quibus vtimur conditutis? quæ cœnarum commenta? quàm piſcium varia ſpecies, frixorumque fructus? quot piſces aceto, aliiſque liquoribus demerſi? quæ atrocreæ differentes? quot diſſimiles modi apparandi oua? quot genera placentarum? quot diuerſa edulia? Modò impletur, quod ait D. Auguſtinus, quòd ne in minimo quidem delectamento cibi detrahitur, niſi quod mutatur in cœnis: & deliciæ quæ extra quadrageſimam cum carnibus, modò mille aliis condimentis, & cupediis vigeant in piſcibus. *Illi, qui ſic à carnibus temperant, vt alias eſcas & difficiliori preparationis, & pretij maioris inquirunt, multum errant: non enim hoc eſt ſuſcipere abſtinentiam, ſed mutare luxuriam.* Luxuriam vocat delicias. Modò verò ſi de collationibus loquamur, quæ paucis abhinc annis in Eccleſiam fuerunt introductæ, quàm multi tales ſumunt, vt cœnis æquiualeant opulentis? Tempore D. Antonini Archiepiſcopi Ordinis noſtri, qui plus minùs centum & quinquaginta abhinc annis vixit, nullatenus admittebatur in collatione panis, vnde ſcribit fuiſſe mortale peccatum in collatione veſci pane. Contemplare, quæſo te, quæ modò ſumantur, quomodo ieiunemus? mane opiparè comedimus, & veſperi moderatè. Hic noſter modus ieiunandi explicauit mihi id quod Spiritus S. ait de David: *Ieiunauit Dauid ieiunio.* Quis igitur non ieiunat ieiunio? Tu, & tu, & multi, qui maiorem curam habent eſus & potus in die ieiunij; quàm aliis; de quo latiùs in noſtris Tractatibus.

*Ser. 71. 73. tom. 10. ex diuerſis.*

VI. Veteres collationes. 34

*1. Reg. 12. 16.*

*Tract. 7. n. 104. & ſeqq.*

2. Conditio requiſita ea eſt, vt vinculum ex ære cudatur, quod (vt diximus) ſymbolum eſt ſapientiæ, prudentiæ & diſcretionis, id quod vno verbo dixit D. Paulus. *Rationale obſequium veſtrum.* Habemus enim, vt aduertit D. Chryſoſt. ſuauem & miſericordem Deum, qui, vt nec ipſa eius Eccleſia pia mater nos intendunt vltra vires noſtras obligare, qua ratione ab obligatione ieiunij eximuntur multi, ſeu propter moleſtum laborem, ſeu ætatem laſſatam, ſeu ob infirmitatem, ſeu ob neceſſitatem. Ad hoc autem magna requiritur prudentia & diſcretio. Ita nobis proteſtatur Spiritus S. dum ait: quòd ſi carnem noſtram ſubiectam habere contendimus, & concupiſcentiam refrænatam, incumbat nobis eam domare victu aſpero, diſciplinis, ieiuniis, ciliciis loquens de illa ſub figura iumenti, ſeu equi indomiti qui baculo ac oneribus manſueſcit; & ſerui rec. lcitran is, qui niſi ſcuticâ, & flagris terreatur continuas verſat & meditatur traditiones Sic autem loquitur: *Cibaria & virga, & onus aſino, & diſciplina & opus ſeruo. Operatur in diſciplina, &c. Laxa manus illi queris libertatem. Iugum & lorum curuant collum durum &c. Seruo maleuolo compedes & tortura &c. Curua illum compedibus &c.* Addit: *Verum ſine iudicio nihil facias graue.* Sint pœnitentiæ, ſint mortificationes, quando eas aggrauas, cum iudicio & diſcretione: & hoc vinculum æris. Quia verò ſi ipſa ſis iudex, cùm ſimiliter ſis pars, in tui fauorem facilè ſententiam deflecteres, & libenter tuæ carnis exciperes rationes, carnis, inquam, verſipellis & adulantis; eiuſque prætextus frangendi ieiunium videbuntur tibi ſufficientes, quinimo pluſquam iuſtæ. Decreuit octauum Concilium Toletanum: vt nullus ex proprio iudicio & ſententiâ omittat ieiunium: non enim æquum eſt, vt quis iudex ſit in propria cauſa, verùm ille ſit aut Prælatus aut Confeſſarius. *Quos aut ætas incuruat, aut languor extenuat, aut neceſſitas arctat, non ante probata violare præſumant quàm à Sacerdote permiſſum accipiant.*

☞ 10

*Rom. 12. 1.*

*Hom. 10. in Gen.*

*Eccli. 33. 25.*

*Can. 3.*

Eiuſdem ſententiæ longè antè fuerat D. Cyrill. Alex. quam ingenioſè defendit ex quodam Dei decreto, quod ipſe ad rem exponit; quo præcipit Deus; quòd ſi voto quis ſe obſtrinxerit, & ad aliquid in Dei famulatu agendum obligauerit, ſi pòſt ei videatur effectu res impoſſibilis, eam ex proprio iudicio non omittat, verùm recurrat ad Sacerdotem. *Stabit coram Sacerdote & quantum ille æſtimauerit & viderit eum reddere poſſe tantum dabit.* Conſulat Sacerdotem, ille vires eius examinet, attendat an ſenex ſit, vel adoleſcens, vir an mulier, lactans an libera, ſanus an infirmus. Quòd ſi viderit votum ex toto non poſſe implere, ex parte verò equidem, hoc ipſe diiudicet, & diſponat vt exequatur. Hoc igitur agendum eſt. Expone medico ſpirituali & corporali neceſſitatem tuam, indigentiam tuam, examinet hic vires tuas, expendat rationes, ſin autem per totam non poſſis ieiunare quadrageſimam, mediam perfice; ſi verò vires omnino deficiant ad ieiunium, eleëmoſynis & orationibus defectus ille ſuppleatur. Vt hic bene explicant D. Leo *a* & Aug. *b* & nos latiùs *c*.

*Lib. 6. de ador. in ſpir.*

VII. Quod ieiunij obligationem conſulat Sacerdotem [illegible]

*Leuit. 27. 8.*

*a Ser. de ieiunio [illegible] b [illegible] c Tract. [illegible] p. 2. n. [illegible] & ſeqq.*

§. 6.

*§. 6. Primus ieiunij effectus, eſt compreſſio vitiorum, carnem affligendo, vt eorum radicem.*

PRofundiùs inſuper mente perpendentes vinculum hoc, ſeu circulum ex ferro, ſi attentè textum inſpiciamus, reperiemus tres vinculi effectus circa hanc radicem in terra manentem. Primus ſit, quòd illam grauiter coarctaret, ne liberè ac fœcundè frutices ſuos protruderet, & *alligetur vinculo ferreo.* Secundus, quòd illam diſcoopertam & cælo patentem teneret. Tertiùs, quod illam diſponeret recipiendo toti cæleſti *rore cæli tingatur.* &c. Vide, hic modo ſubtiliore propoſitos tres effectus, quos operatur ieiunium, quando forte, ſtrictum & tale eſt, quale eſſe debet; ſuntque hi, quos Eccleſia nobis proponit, vt mentem noſtram ad res tam cæleſtes accendat, & diuinæ miſericordiæ capaces efficiat. *Corporali ieiunio vitia comprimis, mentem eleuas, virtutem largiris & præmia* Deum ſic laudat Eccleſia.

2.2.q.
147.a.1. Breuiter de his cum noſtro D. Thom. diſcurramus, qui doctiſſimè illos declarat. Primus ef-
I. fectus ſtricti ieiunij, quòd *vitia comprimit.* Res
Effectus primus ieiunij, eſt vitiorum cõpreſſio. eſt omnibus luce clarior, quam proponimus, quòd caro noſtra radix eſt noſtrorum motuum inordinatorum, ex qua prodeunt appetitus & affectus, qui nos præcipites agunt, & vi quadam admirabili impellunt, vt captiui peccati & diaboli hæreamus. Hos ſentiebat D. Paul dum di-
Rom. 7. 23. ceret, *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati* &c. Non eſt mens Apoſtoli dicere, (eum
D. Aug. Lib. 1 de nuptijs & concupiſc. ſic explicante D. Aug.) quòd abſolutè nobis vim inferant, & captiuos ducant, hoc enim fieri libero noſtro arbitrio minimè poteſt, verumtamen ſignificare intendit vim, quâ nos propellunt, vt captiuemur & ſic: *Captiuum me ducentem, ait, eſt captiuare me conantem.* Quo, dic mihi, impetu puellæ pulchritudinem ſpectantem te, mouet appetitus ex veſtra concupiſcentia progenitus ad libidinem? quis impetus tam vehemens te agitat ad vindictam, cùm quiſpiam te offenderit. Quæ
Gal. 5. 19. pecuniæ cupiditas dum tibi poſſibile lucrum arridet? nõ quot ex hac radice pampini? *Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, luxuria idolorum ſeruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ* &c. enu-
II. merat D. Paul. Quando caro impinguatur, & ſuis
Contra motus carnis. permittitur cupiditatibus libera, quàm validas, quàm innumeras profert commotiones? velut cùm radicem nutris, foues, & copioſè rigas, quàm luxurioſos, & fœcundos germinat frutices? Et licet motus hi in ſeipſis peccata non ſint, tanta nihilominus eſt eorum vis, tantus impetus, vt plerumque ob veſtram imbecillitatem captiuos vos ducant in lege peccati, ad quod vos prouocant. Hinc lucem accipiunt duo loca S. Scripturæ: Vnus eſt, quo dixit Chriſtus, de tempore Noë, quando diuina vindicta homines inuenit incurioſos & ſocordes, & ſi quæras, quid rerum agerent? Reſpondet Chriſtus: *Erant comedentes, & bibentes.* Sollicit erant de eſu & potu. Alter eſt quò, ſi ſcire appetas, quales tum temporis eſſent homines, ait S. textus, toti repleti erant iniquitate, omnia erant horrenda corruptio. *Corrupta eſt terra coram Domino, & repleta iniquitate.*

tiorũ illecebræ.

Luc. 17. 17.
Gen. 6. 11.
Gen. 6. 11.

Sic ſe habet veritas, vt nobis D. Ephrem Syrus pro vero affirmat: Ardebant omnes in adulteria, ſtupra, inceſtus, beſtialitates, homicidia &c. At ſi hoc ita ſit, vt S. Scriptura narrat, quòd tota terra eſſet corrupta, & repleta iniquitate coram Domino, quibus diuinam irritabant vindictam: qua ratione Chriſtus in Euangelio tantummodo notat, quòd intenti eſſent cibo & potui? *Erant comedentes & bibentes.* Quid? edere & bibere hóccine eſt repleri iniquitate? Voluit Chriſtus ad radicem omnis damni recurrere. Ante dixerat Spiritus S. quòd omnes pleni & ſuperpleni eſſent ſceleribus, ſi huius cauſſam inquiris, & vnde crimina tanta? *Erant* (ait Chriſtus) *comedentes & bibentes.* Hoc idẽ nobis ponderandũ ſeſe offert de Sodomitis, de quibus Chriſtus eodem loco ait: *In diebus Lot, comedebant & bibebant.*

Apud Lipoman Geneſ. 6.
Gen. 6.
Luc. 17. 28.

Quid ſperandum (quærit D. Auguſt.) de terra perfœcunda, quæ ſuis viſceribus multa eaque mala ſemina recondit, ſi eam inſuper copioſè irriges, nec eam aut ares aut fodias, niſi zizania, ſpinæ & triboli? quid tibi ſperandum de terra carnis veſtræ maledicta, quæ in ſe totius mali radicem (fomitem & concupiſcentiã intelligo) circumfert, ſi eam pœnitentiæ aratro non proſcindas, ſed foueas, & ſagines multâ potus & cibi abundantiâ? *Spinas & tribulos germinabit tibi*, dixit Dominus ad Adã. Hinc bene capimus phraſim quandam S. Scripturæ, quæ multoties deſcribens peccatorem omni ſordidum iniquitate, nobis de hoc nihil aliud dicit, quàm quòd carnem ſuam opimaret, farciret, ſaginaret. Ita D. Gregor. obſeruat id quod Chriſtus ait de diuite epulone. Quæ, rogo te, narrat eius crimina, quibus hanc meruerit pœnam, quod, *Mortuus eſt diues & ſepultus*

III. Gula cauſſa vitiorum.
Gen. 3. 18.
Li. 1 Mor. c. 5.

*ſepultus in inferno?* De eo non dicit, quod fuerit latro, aut luxurioſus, aut detractor, aut vindictæ cupidus, aut ſcortator: hoc verò ſolùm dicit: *Induebatur purpurâ & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendidè.* (Luc. 16. 19.) Quis hoc æſtimet peccatum tam enorme? In hoc attende (monet D. Gregor.) quaſi in origine omnium genera peccatorum. Quid cogitas: euenturum ex veſtitu regali & quotidianis ſplendidioribus epulis, niſi mille fœditates, laſciuias, impudicitias, leuitates; ob quas infelix hic damnatur inquinatus.

(Tract. 2. p. 6.3. 6.) Huic propoſito multa loca S. Scripturæ retulimus lectione digniſſima: ſi ex deliciis & petulantia carnis hæc enaſcuntur vitia, quid remedij, vt illa reprimantur? refræna illam, caſtiga illam, affige eam; Prohibe terræ rorem, zizania non producet: aufer equo hordeum, & non ſubſiliet. Hinc ortum habuit tum acuta, tum vrbana illa reprehenſio nobis facta à D. Paulo: fixis ille vos oculis intuetur, qualiter carnem veſtram farcineris, & quàm ex animo, totoque conamine illi in omnibus ſatisfacere ſtudeatis, quæ à vobis deſiderat. Deinde anxiam diligentiam, quà vndequaque delicatum fruſtulum conquiritis, vinum maximè pretioſum, ſelectiſſimum, lectum molliſſimum, hyberno frigore veſtem calidiſſimam, at caloribus æſtiuis refrigerantem, ſic ait: *Fratres, debitores ſumus, non carni, vt ſecundùm carnem viuamus,* (Ad Rom. 8, 12.) q.d. Ignoras fortè, quid carni illi debeas, quòd eam ita nutrias delicatè & foueas opiparè. Hoc, quod Dalilæ Sampſon, vt propoſitò conformiter annotauit D. Baſil, (Hom. 2. de ieiuno.) Afficiebatur ille huic mulieri, nec quidquam ei erat adeò curæ, quàm illi in omnibus gratificari, abblandiri; negare quidquam eorum, quæ poſcebat nec auſus. Quomodo illi ſoluit aut ſatisfecit fallax illa Philiſthæa? hoc ipſo, quo ei ſatisfecit; ſc. eidem cauſam aperiendo, quâ tantâ polleret fortitudine, viribuſque cæteris omnibus antecelleret, captiuum reddidit, & manibus tradidit inimicorum. Hoc idem carni tuæ peccati illecebræ, debes, quæ, dum eam, modis omnibus ſtudes fouere, lautiſſimè excipere, omnia concedere, denegare nihil, tradit te peruerſa & infidelis, & malè ordinatas contra te ſuſcitat paſſiones, quæ te manibus peccatorum, & dæmonum prodant poteſtati. Et nemo melius hoc dicere potuit ipſo D. Paulo, ſi enim ille caſtigans corpus ſuum, & in ſeruitutem redigens, ſentiebat carnem recalcitrantem, nouos, fortioreſque quotidie motus excitantem, quibus eum conabatur captiuũ ducere in lege peccati, ſicut ipſe magno affectu, & doloris ſenſu verbis ſuprà citatis ingemiſcens conqueritur, quid faciet vobis? Audi monentem Spiritum ſanctum: *Si præſtes animæ tuæ concupiſcentias tuas, facies te in gaudium inimicis tuis.* (Eccl. 18. 31.) Quem (quæſo te) finem accipient hæc, ita corpus opimare, ventrem colere, cibo potuque diſtendere, ei vel minimum negare aut ſubtrahere imbecilles, omnia concedere parati. Fameſcis? comedis: ſitis? ad pocula curris: grauaris ſomno? illico ad ſtratum: paululum laboraſti? molliter quieſcis, Non ſic, non ſic, ſed vinculo ferreo fortiſſimo alligetur, ſic faciebant D. Paulus, Antonius, Hilarion, Dominicus, Franciſcus, aliique quàm plurimi, de quibus aliàs. (Tract. 24. 1. §. 10.)

IV. Dalila eſt caro noſtra, quæ nos tradit inimicis.

## §. 7. *Secundus ieiunij effectus eſt, mentem ſurſum erigere, ad contemplationem autem apprimè neceſſarium eſt ieiunium.*

IAm ſecundum exponimus ieiunij effectum: 13 ſcilicet hoc vinculum tam arctè comprimês radicem, quod eandem diſcoopertam ſeu nudam tenebat, & cælo patulam: hoc idem nobis ingerit Eccleſia, & operatur in nobis ieiunium, nempe coarctando carnem nos diſponit, vt cælum verſus mentem noſtram eleuemus. Hoc noſtrum corpus: pondus quoddam eſt, cui Deus animam noſtram alligauit. *Corpus quod corrumpitur aggrauat animam.* (Sap. 9. 15.) Notat hæc verba D. Auguſt. *quod corrumpitur*: Quia corpus, in quantùm corpus non grauat, aut deprimit animam, ſed non niſi quia corruptioni ſubiectum eſt: (Lib. 13. de ciuit. c. & in Ps. 56.) quando enim illud Deus creauit, non abſolutè eam aggrauauit, cum animam non impediret in altiſſima rerum diuinarum contemplatione; nec in ſtatu reſurrectionis graue illi erit aut ponderoſum; ita vt, id quod animam grauat corpus eſt, quia corruptibile eſt.

Videamus verò, quid ſit, quod illud reddidit corruptibile? Clarum eſt (teſte D. Chryſoſt. a) quod pomi eſus corpus mortale effecerit. Ecce hic, quid corpus graue reddiderit, ſic vt aggrauet animam; vnius ſcilicet pomi vetitus eſus, in paradiſo. Quàm igitur graue reddent illud cætera poma, quæ in hoc miſerabili mundo manducamus? Hoc eſt, quod corpus graue reddidit, vt declarauit Chriſtus: *Attendite autem vobis, ne fortè grauentur corda veſtra in crapula & ebrietate.* (Luc. 21. 34.) Auis, licet aquila ſit velociſſima, ſi luteo ponderi alligetur, non niſi difficulter ſe poterit de terra ſurſum attollere, aut per aëra volitare, & ſi huic ponderi appendas aliud, ex plumbo, aut

lapide,

II. Similitudo, lapide, omninò impoſſibile erit ei ad ſuperna volare; Viſne poſſit volare? alleua pondus & lapidem diſſolue. Admiror Dei ſapientiam, quando legem ſtatuit de curandis leproſis; vt ille à lepra iam mundatus, offerret duos paſſeres viuos, cô modô, vt eorum vni guttur diffinderetur, alteri verò liberè per aëra concederent volitare.

Leuit. 14. Magnum myſterium & ſtupenda connexiô, quod vt paſſerum vnus ad altiora volaret, alterum occidere ſit neceſſe; & mortuum relinquere. Sic ſe res habet. Sacrificium quod à vobis Deus exigit, duos complectitur paſſeres: corpus & animam, vtrumque ei offerre obligaris: verùm quomodo? trucidando corpus, guttur ei diffinde, non materiali cultro, ſed ieiunio: hoc enim eo tendit, non ei infligendo mortem violentam & naturalem, ſed moralem. Sic contra quoſdam
a Mat. 4. hæreticos proſequitur D. Chryſ. *a* & ad rem op-
in ep. ad timè declarat Origenes. Mortifica carnem tuam,
Rom. ieiunio illam ſubiuga, vt eius debilitetur ſuper-
b Hom. 1. bia, & petulantia adeò deprimatur, vt aliquando
in pſal. 37 non poſſit ſubſiſtere. Dauidis exemplo: *Genua*
Pſal. 108. *mea infirmata ſunt à ieiunio, & caro mea immu-*
24. *tata eſt propter oleum.* Non eſt ea, quæ ſolebat, caro mea, nec eam opiparè nutrio, ſicut quando me ad adulteria impulit, iam eius craſſities marcuit & petulantia deferbuit, hoc enim vocat o-
Ad Coloſſ. leum: *Propter oleum id eſt, propter defectum pin-*
3. 5. *guedinis & virium.* Mortifica illam; age, ad quod te hortatur D. Paul. *Mortificate mēbra veſtra quæ ſunt ſuper terrā.* Ex his videbis, & gaudebis, quam leuis ſit futurus paſſerculus ſpiritus, vt ſuperna per aëra volet, quinimo vſque ad ſidera penetret.

Aduerte id quod D. Paul. contigit in ſua conuerſione, cum virtute lucis Chriſti, quæ circumfulſit eum, corpus eius concideret ex equo in terram, vt mortuum, eratque illic tam arcto viuens ieiunio, vt totum triduum nec ederet, nec bibe-
Act. 9. 9. ret: *Erat tribus diebus, non videns & non mandu-*
III. *cauit, neque bibit.* Dum paſſerculus ille corporis
Paulus ie- corruit in terram, vt mortuus, ecce anima quò e-
iunans in uolet, *a. Vſque ad tertium cælum, & raptus eſt in*
tertium *paradiſum & audiuit arcana verba quæ non licet*
rapitur *homini loqui.* Hanc doctrinam proſequitur D.
cælum. Hieron. *b.* telam admirabilem contexens.
a 2. Cor. Contemplare (inquit) Moyſen, quomodo, vt
12. 4. montem Sinai conſcendat, cum Deo collocutu-
b L. 2. con- rus, diſponat corpus & animam ſuam arctiſſimo
tra Iouinian. ieiunio quadraginta dierum & totidem noctium: *Vacuo ventre legem accepit ſcriptam digito Dei,*
D. Hier. *non tantum eius corticem intelligens, ſed ad ſacra-*
Tom. 2. *tiora illius ſacramenta pertingens.* Hoc autem tē-
Hom. 1. de porc, ait D. Hier. & cum illo D. Baſ. populus de-

orſum in terra vitulo ſuo ſacrificat, illū adorat, *ieiun.*
Deum proclamat, ad quod idololatriæ peccatum illum præparauit impulitque cibus & potus, vt teſtatur D. Paul. Elias vt montem Dei Oreb ſub- 1. Cor. 10.
eat, magna cum Deo communicet, primò ieiu- 3. Reg. 19.
nauit quadraginta diebus & quadraginta noctibus. D. Baſ.
Hoc ieiunio, ſic credit D. Baſil. *a. Meruit* a Hom. 1.
*quantum fas eſt homini, Deum videre.* Hoc effecit *de ieiun.*
eius corpus adeo leue, vt cenſet D. Ambr. *b* quod Tom. 1.
licet mortalis eſſet, rapi tamē poſſet igneis equis, IV.
curruque flammeo in paradiſum, id eſt, ſummâ Elias de
velocitate: quia inter animalia, curſus celerrimi ieiunio
creditur equus; & inter quatuor elementa, ipſe meruit
ignis. Quinimò in duobus his Moyſe & Elia Dei vi-
tam excellens laudatur ieiunium, vt ambos di- ſionem.
gnos reddiderit (inquit D. Hier.) qui cum Chri- b L. 1. de
ſto adeſſent in monte Thabor, & in propriis Elia &
corporibus tam ineffabilem & reuerendam ſuſ- ieiun.
ciperent claritatem, vt meritò dicat Euangeliſta: *Viſi ſunt in maieſtate.* Danielem (dicente D. Ba- Luc 9. 30.
ſil.) diſpoſuit ieiunium, capacemque reddidit Hom. 1.
myſterioſis viſionibus & ſomniis portentoſis, cit.
quæ nec ipſi totius regni ſagaciſſimi nouerant Dan. 5. 1.
perſcrutari. Cumque intellectum ſuum quodam die, Diuinis Sacramentis vellet præparare, trium hebdomadarum ieiunium celebrauit. Hæc erant ieiunia bona, ita ſanè optima erant.

Tantum profuit D. Ioa Baptiſtæ (qui viuens, 14
corpore in terra, mente & ſpiritu ſurſum deli- V.
ciabatur) arctiſſimum ieiunium, vt de illo veraci- D. Ioan.
ter veritas ipſa Chriſtus potuerit pronuntiare: Baptiſta
*Venit Ioannes, neque manducans, neque bibens.* D. à ieiunio
Petrum verò, vt contemplationi vacaret, illamq; commen-
de linteo cæleſtem viſionem caperet, quod è cæ- datur.
lo dilabi videbatur, ſuſcepit Deus ieiunantem, & Matth. c.
fame dehiſcentem. *Cum eſuriret, voluit guſtare,* 11. 18.
*parantibus autem illis cecidit ſuper eum mentis* Act. 10. 10.
*exceſſus.* Quis, rogo te, diſpoſuit S. P. N. Dominicum, vt intellectum ad tam ſublimem intenderet rerum cæleſtium cōtemplationem, vt corpus ſuum poſt ſe traheret, & ad duas vlnas ſurſum raperetur? ſtrictum ieiunium. Quis in eundem effectum Seraphicum Franciſcum, cuius tanta vi corpus in aëra elatum fuit, vt vehementiori ſpiritus impetu, eum amplexantem ſocium ſuum
fratrem Maſſeum pariter ſecum ad ſuperna tra- Tract. 2.
heret amplexatum? De his latius egimus in tra- p. 1. §. 15.
ctatibus de ieiunio. vſque 24.

Hinc arguit D. Ambr. quorundam malitiam D. Amb.
quæ eius tēpore vigebat (& hoc noſtro æuo mul- Tom. 1.
tos ſimiles reperias) qui cenſent ad contemplationem conducere caput optimum, ad quod neceſſarium ſit delicatum, abundans, & opiparum

alimentum. Heu infelices (ingemiſcit) an non vobis conſtat, quod raptus in tertium cælum, ille
1. Cor 9. 27. ſit qui ait: *Caſtigo corpus meum & in ſeruitutem redigo.* Ille, qui *in labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & ſiti, in ieiuniis multis, in frigore & nuditate,*
2. Cor. 11. Corpus ſuum affligebat. *Quaſi los nouos Epicureos* (ſic tonat D. Ambr.) *noua ſchola miſit? O ſtultum Eliſeum, qui ſyluestribus ramis, & amaris paſcebat Prophetas.* Contra eoſdem diſ-
Serm. 30. in Cant. putationem habet D. Bernard. dicens, eos magis vocandos populos Hypocratis & Galeni, quàm Chriſti diſcipulos, qui ſapientiores ſunt Medicæ artis, quàm Euangelij profeſſores.

VI. Ex gula nullum orationis exercitium.

Hinc etiam traho cauſſam, vnde tam ignorantes ſitis orationis, & contemplationis, vt vobis hi diſcurſus Arabici videantur, idq; cauſſa ſit, quod non contingant vobis, neque vos tangant, ſed Monachos, Religioſos, & à mundo ſegregatos. Quàm parum noſtis, quot oratio partes contineat, & quid vos ad contemplationem diſponat; quanto minus, quomodo illam exerceatis? Multum vos præſtare putatis quando orationem vnam vocalem ore tenus pronuntiatis, ſine ſpiritu, ſine conſideratione, ſine attentione eorum, quæ dicitis: & in hac quidem ſtatim fatigamini, obdormitis. Si vero, parumper à ſomno vos contineatis ſtatim videre vos liceat oſcitantes, patens ſignum veſtræ ſocordiæ & ignauiæ. Hoc inde oritur, quod corpus geratis graue, & carnem veſtram petulcam, nec mirum, vtique bene farcinatam, quę ſit tibi promptior ad garriendum, quàm orandum, & multo celerior vt curis ac cogitationibus circa profanas mundi vanitates diſcurrat, quam vt ad connexa cælorum properet. Hoc
D. Hier. Epiſt. 2. ad Nepotia. de vita clericorū. arguebat D. Hier illa ſententia de Græcis, quam laudat: (*Pulchrè dicitur apud Græcos, & neſcio an apud nos æquè reſonet. Pinguis venter non gignit mentem tenuem.*)

§. 8. *Tertius ieiunij effectus eſt, dona à Deo conſequi: cui moleſti ſunt, qui hoc formidant, ſimiles Elephanti.*

☞ 51 VLtimum: quod vinculum ferreum operatur circa radicem, hoc erat, quod eam aptaret cæleſti rori ſuſcipiendo: *Rore cæli tingatur,* eſtque tertium, de quo laudat Eccleſia Deum; per ieiunium *virtutem largiris & præmia.* Nihil adeò frequens in S. Scriptura nobis proponitur, quàm efficax medium cæleſtes fauores obtinen-
Hom. 1. de ieiun. di, hoc eſſe ieiunium: Ob quam cauſam D. Baſilius ieiunium vocat *Sanctorum theſaurum*; ſicut enim diues quiſpiam, qui theſaurum poſſidet, ſi quo indiguerit, manum in illum mittit; ita Sancti, ad ieiunium recurrunt. Optimè hoc intellexit Moyſes, cum nullâ re aliâ ita ſibi præſidio fuerit, vt quidquid vellet, à Deo impetraret, quàm ieiunio; ſicut ipſe paulò ante mortem fatebatur beneficiorum omnium recolens numerum, recenſens inſuper tres adſtupendas Quadrageſimas, quas celebrauit, ſingulas earum quadraginta dierum & totidem noctium. Quocirca cum primùm populum de Ægypto eduxiſſet, deſiderio deſiderauit à Deo tantam obtinere gratiam, vt cum eo loqueretur facie ad faciem, vt amicus ſolet amico colloqui, Diuinam eius legem acciperet, claramq; eiuſdem notitiam, omnium denique myſteriorum, quæ in ea continebantur. Vt verò rem tam prodigioſam, & hac tenus inauditam, ſingulare hoc priuilegium conſequeretur, illicò manum miſit ad ieiunium, tam ſtrictum vt cōtinuos quadraginta dies & noctes comprehenderet, quô abſolutô, quidquid optauerat adipiſci nactus eſt, ſic ex D. Hier. Audiamus autem illum de hoc ſuo tam celebri ieiunio loquentem: *Perſeueraui in monte quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, panem non comedens, & aquam non bibens dedítque mihi Dominus duas tabulas lapideas* Sed paulo poſt offendit populus Deum illâ tam infami & pudendâ vituli conflatilis adoratione toti mundo notiſſimâ, ob quam ſtatuit Deus totam hanc fœcē populi diſperdere. Recurrit Moyſes, manumq́ue mittit in theſaurum ſuum, ieiunium inquam idq́ue tam ſtrictum & continuum, vt denuò quadraginta diebus ac noctibus omni cibo & potu abſtineret. quo tantæ culpæ conſequitur indulgentiam. *Procidi ante Dominum ſicut prius quadraginta diebus & quadraginta noctibus, panem non comedens, & aquam non bibens propter omnia peccata veſtra.* Anno reuoluto, dum Deus vellet populum in terram promiſſionis inducere, pro eo, vt illi pro tanto beneficio gratias agerent, ecce proſiliunt omnes, blaſphemi, diffidentes, increduli, Deo infideles, inclamant, quod eos impotens ſit poſſeſſores conſtituere terræ Chanaan, & gentem potentiſſimam debellare, quæ eam incolebat; Ob quod peccatum incandeſcens Dominus, omnes fœdâ conſumi peſte decernit Reuertitur Moyſes, & manum iam tertiò mittit in theſaurum ſuum, illud rigoroſum ieiunium aliorum quadraginta dierum & noctium, cuius rei gratiâ ei Deus remiſſionem conceſſit omnium totius populi peccatorum. *Et iacui coram Domino quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.*

Elias quæ beneficia ieiunio non obtinuit? Ea

pet-

*Lib. de Elias. c.* 2. perpendit D. Ambroſius, cui videtur inter illa hoc maximè excelluiſſe, quòd ſacer textus ſæpè commemorat, nimirum: quod lingua eius clauis eſſet cœli, quâ pro libitu illud aut clauderet aut aperiret, quâ aquam de deſurſum traheret, quomodo, & quando ſibi placeret, quâ ignem, ad ſuum præceptum. Verumtamen, ne mireris, ait D. Ambroſ. erat enim verbum eius, verbum ex ore ieiuno egrediens, quod ad ieiunium ita videbatur formatum, vt vnicâ vice quadraginta dies & noctes conſumeret ieiunando.

Præterea notat D. Ambroſ. quod quantò maiora poſcebat beneficia, tantò ſtrictius abſtine-
*Eſth. c. 4. 16. & c. 14.* ret. *Plus meruit, quando plus ieiunauit.* Piiſſima illa Eſther pro libertate populi ſui ſollicita, & ob ferox Regis Aſſueri cor multùm anxia, quod tantum ſumpſit ſibi præſidium, niſi ſtrictiſſi-
*Dan. c. 3.* mum ieiunium? Tres pueri Babylonici ieiunatores per ieiunium ſaluificum rorem inter flammarum globos receperunt, quo per fornacis æſtuantis incendium, vt inter flores ambulabant.

16 Omiſſis autem aliis exemplis (quibus S.
*Tract. 1. p. 1. §. 23. vſque 28.* Scriptura redundat, & quæ alias receuſuimus) duo nobis veniunt maximè conſideranda, quorum primum ſit fortiſſimæ viraginis Iudith,
*Lib. de vidu. c. 1.* quam D. Ambroſ. maximè extollit. Stupet orbis vniuerſus videre mulierem iuuenem, quæ tantam à Deo obtinet prudentiam, vt libertate
*III. Iudith.* maſculina prodeat in publicum, doceat, reprehendat, ſicque ipſa magiſtra Sacerdotum & Seniorum, hos erroris conuincat, ſermonem habeat, qualem vel proferre poſſet Apoſtolus. Tanta vigeat fortitudine, vt integros non timeat exercitus Aſſyriorum, quibus ſeſe vltro dedebant & fortiſſimæ & potentiſſimæ ciuitates. Hæc (inquam) quæ ſtellas pulchritudine vincebat, vt ſecura tendat inter armorum fragores, militumque laſciuiam tantam, quantam vix orbis vidit, de quibus teſtatur Spiritus ſanctus illis infame fuiſſe mulieri tranſitum concedere, quâ non ab-
*Iudith 12. 11.* uterentur. *Fœdum eſt enim apud Aſſyrios, ſi fœmina irrideat virum, agendo vt immunis ab eo tranſeat.* Tam magni ſpiritus mulier, vt gladium manu arripiat, caput diſcindat Duci, Duci (inquam) qui ſolo ſuo nomine fortiſſimos terræ Principes terreret. Tantâ prudentia, vt ipſa, quaſi foret exercitus totius Duciſſa, ordinet quando contra inimicos proſiliant de ciuitate, & faciant impetum: & reipsâ omnes in apertam fugam præcipites compulit. Nec mireris: talia enim dona à Deo illa recepit, cui nihil erat frequen-
*Iudith 16.* tius, quàm ieiunium: *Habens ſuper lumbos ſuos cilicium* (ſic teſtatur de ea Spiritus ſanctus) *ieiunabat omnibus diebus vitæ ſuæ, præter Sabbata, & Neomenias, & feſta domus Iſrael.*

Aduerte, quæſo, in hac muliere, id quod D. *De Virg.* Athanaſ. ſorori ſuæ ſcribit, quod ieiunio non abſtineret, verita debilitatem, & faciei ſuæ fœdam contractionem, quam venuſtæ mulieres tantâ curâ contuentur, atque ieiunium in Sanctis potius ipſas reddidiſſe venuſtiores. Propoſito aptiſſimam narrat hiſtoriam de Daniele, eiuſque ſociis, qui eò pulchriores apparebant, quò ſtrictius ieiunabant. Et id quod Spiritus S. *IV. Eſther.* narrat de Eſther; præcipuam ceruſſam, quâ vtebatur, vt pulchrior appareret, fuiſſe arctum ieiunium, aſpero comitatum cilicio. Eoque modo adeò pulchra, grataque euaſit, vt cæteras puellas, prout omnibus notiſſimum, pulchritudine præcederet, ſicque ipſa vna magis placuit oculis Regis Aſſueri. *Eſther pulchrior facta eſt ieiunio: Dominus enim gratiã ſobriæ mẽtis augebat, & illa, quæ triduo ieiunauit continuo, plus placuit.* *D. Ambr. Lib. de Elia & ieiun. c. 9.*

Non datur optanda, ait D. Chryſoſt. mulieri maior pulchritudo, quàm ea, quâ Iudith & Eſther placuerunt; cum ipſe Spiritus S. de ambabus dicat, eas ornatas fuiſſe *incredibili pulchritudine.* *Hom. 1. ex variis ſuper Matt.* En quomodo illam extollat; nihilominus lege eius hiſtorias, quas alteri ſcribendas non fidit, ſed ipſe proprio eas calamo exarauit, nec inuenies Anachoritas ſtrictiora ſeruantes ieiunia, ſed nec longiora, nec cilicio indutos aſperiori. Secundum exemplum, quod D. Chryſ. *Hom. 1. de ieiun. & hom. 2. de Iona.* conſiderat de Niniuitis. Non video turpiori perditionis abyſſo poſſe hominẽ demergi, quàm ciuitas illa Niniue abſorpta iacebat, cum Deus cum illa computus ſuos abſoluerat, & ſedens pro tribunali in cælo, ſententiam contra illam fuerat prolocutus, vt infra quadraginta dies Niniue ſubuerteretur, ob enormia eius ſcelera, criminaque abominanda. Quomodo verò ſententiam ab ipſo latam, & quaſi per Angelũ ſuum miniſtrum pronuntiatam, credat quis eſſe reuocandam?

Quando Samuel Propheta Regi Sauli ſententiam intimauit, quam contra eum Dominus tulerat, quod ei regnum auferret, & ſceptro priuaret; attriſtatur Saul, ſupplex factus inſtat Samueli, vt roget pro eo Dominũ: cui Samuel, quid quæris, vt pro te Dominum deprecer; iudicium iam datum eſt per ipſummet Deũ & iudicatum contra te: *Triumphator in Iſrael non parcet & pœnitudine non flectetur.* *1. Reg. 15. 29.* An credis Deum eſſe vt labarum omni vento mobilem? His non obſtantibus, audiunt ſententiam Niniuitæ publicari, credunt eſſe latam, & intelligũt eam ſibi à Propheta intimari; nihilominus contenduntillam

reuocari, & de facto eius reuocationem audie-runt. Quibus igitur talem gratiam meruerunt, quo vſi medio ad ſententiæ reuocationem? Strictum lego ieiunium, de quo ſuperius, quo mortis ſententiam reuocari meruerunt: Fuit & illis conceſſa remiſſio & vita: Hoc eſt enim, quod quis exequendo, vt decet, obtinet à Deo beneficia magna, gratias ſingulares, abſolutiones minimè expectatas, & miſericordiam admirandam.

D. Cyp. Lib. de ieiun. & tentat. Chriſti.

Vltimò perpendenda venit D. Cypr. ſententia reſolutoria, quâ hanc concludit materiam. Neminem Sanctorum quidquam à Deo accepiſſe abſque ieiunio; hæc eius ſunt verba. (*Quotquot viros virtutum videmus, ſine ieiunio non legimus aſcendiſſe, nec aliquid magnum moliti ſunt, niſi prius abſtinentia præceſſiſſet.*) Hinc ieiunij collige neceſſitatem. Si quæris Dei gratiam, ieiuna; ſi peccatorum remiſſionem, abſtine; ſi bonam inſtituere confeſſionem, moderantiam ſerua; ſi orationem deuotam, temperanter viue; ſi vt proſperè ſuccedat tibi contra proximum iuridica contentio, iter, matrimonium, Quadrageſimæ initium, & c. ieiuna. Hinc D. Chryſ. demiratur homines, tempore accedente ieiunij, illud cum formidine & anxietate præſtolari, præmunientes ſe multo cibo & potu, & mille comeſſationibus, eo planè modo, quo, dum hoſtes imminent, vrbem armis ſuis cincturi, omnes ſibi prouident de rebus neceſſariis, quibus reſiſtant inimico, vt illis nequeat damnum inferre. Horrent ieiunium, vt feram, quæ eos dilaceret aut occidat.

Hom. 1. de pœnit.

Tob. 6. 4.

Quid piſcem times quaſi ab eo deuorandus? ait Angelus; attrahe illum, tibi affirmo, quod non ſolùm non tibi non inferet necem, quin potiùs, in hoc latet domus tuæ, patriſque tui certiſſimum remedium. Debilitatem times? Porrò hæc prætenditur in ſalutem tuam, vt carnis tuæ petulantia deferueat, & proteruia infirmetur. Angaris quod requieſcere non poſſis? Porrò, hoc tibi maximè conuenit, vt vigiles, & te ad vitæ excites emendationem. Admirabilis eſt illa D. Bernardi ad fratres de mõte Dei, doctrina. Supponit carnem domandam eſſe, non occidendam, nec reddendam illam ad diuini famulatus opera inhabilem: at retrahere nos minimè debet leuis quidã timor; quòd ſi caput doleat, aut langueat, non ob hoc omittendum ieiunium, nec carnis deſerenda mortificatio: *Iuſtum eſt vt caput aliquando doleat in ſeruitio Dei, quod olim ſæpe vſque ad dolorem laborauit in vanitate ſæculi, eſurire ventrem vſque ad rugitum, qui ſæpe repletus eſt vſque ad vomitum.* Admiramur ſententiam Spiritus S. quâ vt perditum execratur hominem duplici corde: *Væ duplici corde.* Videtur ad id alludere, quod Ælianus refert de Elephante, ipſum videlicet duo corda habere, vnum fortiſſimum, vt integrum exercitum adoriri non vereatur, ſeu parietem ex quadro lapide, ſeu quercum inſtar turris altiſſimam: Alterum pauidum adeò vt eum res minimæ terreant, ſtupefaciant, & ſolo aſpectu fugam incutiant. Paruulâ ſanguiſugâ terretur, rubros vermiculos horret in aqua genitos, ad grunitum nefrendis fugit, ad camœleontis præſentiam ſeu contuitum, qui eſt inſtar lacertæ, trepidat, quinimò & muſculum reformidat. Liberet te Deus à talibus hominibus, qui ex vna parte cor habent intrepidum, infractum ad maxima mundi pericula: ex alia vero, tam puerile, & pauidum, vt rebus nihili terreantur. Quot ſunt eiuſmodi?

D. Br. Tract. de vita ſolit.

Eccl. 2.14. V. Elephas duo habet corda.

VI. Incurr[illegible] non [illegible] tiunt.

Vos, qui ad delicias veſtras nocturnum aërem non timetis, nec eiuſdem pericula, nec cælo humores decidendos. Vos, qui biduum luſibus conſumitis abſque cibo & potu, aut loci mutatione. Vos, qui ob conſpirationes veſtras non terremini gelu, niue, bombardis. Vos, qui ad venationem veſtram quatriduanas ſuſtinetis inedias diſcurrendo per inuia, & deuia, per dumeta & ſpineta; vnius autem diei ieiunium vos deterret, vna diſciplina metum incutit, vnius noctis vigilia affligit, vnum panis & aquæ prandium expaueſcitis. De his per Prophetam ſuum conqueritur Deus: *Factus eſt curſus eorum malus, & fortitudo eorum diſſimilis.* Homines qui tanto impetu ad malum currunt, vt nihil eos poſſit detinere, vt effrœnes equi, acuto ſuæ paſſionis calcari inſtigati, currunt ad adulteria, impudicitias, vindictam, vſuram, lucrum iniuſtum; & hæc eſt *eorum diſſimilis fortitudo:* q. d. Hi qui tantâ vigent fortitudine ad malum, vt nihil ſit quod timeant, nec calorẽ, nec frigus, nec aërem nocturnum, nec famam, nec ſitim, qui perdurare poſſunt duas treſve noctes ludendo, & quatuor aut quinque horis aſſuti domus alicuius angulo iacere, ob leuem voluptatem, nihili faciunt pruinas hybernales; Videbis eos tam pigros, debiles, infirmos ad bonum, vt vires non habeant ad vnius diei abſtinentiam, nec ad pœnitentiæ opera, quorum quodlibet abhorrent, velut hoſtem fortiſſimum, planè inualidi, vt illi fortiter & alacriter ſeſe opponant. Ad omnia hæc eis animus & cor deficiunt. Hoc idem eſt, quod dixit Spirit. S. & a expoſuit D. Gregor. *a. Cor ſtultorum diſſimile erit.* Cor tam generoſum, vt vultum cuilibet labori & impendio exponat, quando de lucro & voluptate agitur, verùm adeo marcidum, & flaccidum ad

Hier. [illegible] 10.

a In Iob. l. [illegible] 19. Prou. 15. 7.

ad bonum, vt ei vires deficiant, vel ad vnicum ieiunium, eleëmoſynam, & diſciplinam. *Væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum* (ait Dominus) *& viri fortes ad miſcendum ebrietatem &c. opus autem Domini non reſpiciunt.* Ita vt ad patrandum malum, diabolo ſeruiendum flocci facias abſtinentiam, pericula, vigilias, panem & aquam. Vt verò Deo deſeruias, omnia tibi mortiferam ingerunt formidinem. Sic autem orat Eccleſia ſacrum hoc tempus incipiendo: *Præſta fidelibus tuis, vt ieiuniorum veneranda ſolemnia & congruâ pietate ſuſcipiant, & ſecurâ deuotione percurrant*; vt illis ieiunium hoc, non ſolùm non noceat, ſed plurimùm proſit ad ſalutem.

*Iſa. 5. 11.*

### §. 9. *Secundus labor: Expoliendus eſt homo in ordine ad Deum, in eum cor ſuum dirigendo, quod ipſe Deus præ cæteris intuetur.*

18 SEcundum vult Chriſtus, vt ex altera parte dolemus lapides, ipſos diſponendo in ordine ad Deum. Inæqualitas maximè homini nociua hæc cenſeri poteſt, quod tam ex tranſuerſo & obliquè Deum aſpiciat: ad eum bonum omne non referendo, quod operatur, nec ad eius gloriam & famulatum; ſed quod ſui memor, Dei verò immemor, propriam prætendat gloriam, honorem, æſtimationem. Hæc erat primaria hypocritarum diſconuenientia, ob quam in cœleſti ædificio minimè poterant collocari. Vnde neceſſarium eſt, bene te diſponas in ordine ad Deum. Quomodo fiet iſtud? oculos veſtros (docente Chriſto) ſurſum elatos habete & velut clauis affixos in eum dirigite, prætendentes in omnibus veſtris bonis operibus, non placere hominibus veſtram ſectantes laudem, vt hypocritæ, ſed eius oculis, & ad eius gloriam omnia diſponentes.

I. Bona intentio eſt neceſſaria. *Ioe 2. Ioel.*

*Nolite fieri ſicut hypocritæ, triſtes.* Et in hoc correſpondet Chriſtus, quod à nobis deſiderat in Euangelio, cum illo, quod repoſcit Propheta Ioel in Epiſtola: *Sanctificate ieiunium*; quod declaratore D. Hieron. proprio idiomate ſignificat facite ieiunium ſanctum. Parui ſunt enim fructus, quotquot ieiunia peragis aut potes peragere, niſi ſancta ſint, & Deo accepta; & quantumlibet vos componant in ordine ad vos, mortificando omnes carnis veſtræ motus & paſſiones, & ſenſualitates, ſi ea non dirigas in ordine ad Deum. vt patet in ieiuniis illorum peruerſorum hypocritarum, qui facies ſuas demoliebantur ea intentione, vt ab hominibus velut ieiunatores, abſtemij & ſancti colerentur. Tu verò te diſpone in ordine ad Deum, monet Chriſtus, quod facies, ſi in eum oculos tuos, cor, & intentionem direxeris. *Tu autem cum ieiunas, &c. ſed Patri tuo.*

Nomine ieiunij, intendunt D. Aug. *a* & D. Baſil. *b* Chriſtum intelligere, & à nobis flagitare omnia opera mortificationis, poſſumus inſuper capere omnia virtutum opera: quia ad hæc omnia multùm conducit ieiunium. Deſiderabat Chriſtus Dominus noſter quòd opera illa, quæ multo nobis conſtant labore, nobis non perderentur, ſed lucrum facerent: Optas & tu hoc idem? Opto. Quando igitur ieiunas, aut legis, aut obis ſtationes, aut das eleemoſynam, aut capis diſciplinam, aut confiteris, aut communicas &c. oculos tuos in homines non deflectas, volens ipſis bonus videri, vt te ipſi tanquam ſanctum vereantur: ſi enim hæc tua ſit mens & intentio, hoc ſolo potes reputare tibi ſatisfactum; at dirige illos in ſolum Deum, quærens illi ſoli gratificari & complacere.

a *Tract. 17. in Ioannem & l. 2. qq. Euang. c. 16.*
b *Hom. 2. de ieiun.*

Nunquam fuit Deus latro, nec manum miſit, vt aliena raperet, ſi ieiunium tuum, eleemoſynam tuam des oculis hominum, vt illis ſatientur, ne timeas, quòd illa ſibi rapiat Deus, aut tibi pro illis ſoluat; Quæris vt ille tibi ſoluat? quæro. Opera tua agito propter illum ſolum. Admiror diſcurſum D. Aug. Deus non indiget, nec vobis, nec veſtris operibus propter ipſamet; quia nec quando abſtines, pani eius parcis, nec quando vigilas, bona eius cuſtodis, nec quando eum ſanctificas, ſanctum facis, nec quando das eleemoſynam, ei famem enecas: ſatis enim trita eſt illa Dauidis propoſitio: *Bonorum meorum non eges.* Illa quoque Eliu amici Iob, *Si iuſtè egeris, quid donabis ei? &c. Filium hominis adiuuabit iuſtitia tua.* Satagebat Spiritus S. hanc probare veritatem, ſupponens pro vero, Deum eſſe omnium creatorem, & quod fuit tota æternum eſſe ſine ipſis *Qui viuit in æternum, creauit omnia ſimul, Deus ſolus iuſtificabitur, & manet inuictus Rex in æternum.* Hæc vox (*ſolus iuſtificabitur*) ſignificat quòd ipſe ſibi ſufficiat, nihil illi deſit; ex hoc principio ſtatim infert, quòd nullatenus Deus hominis operâ indigeat, nec eius, quantumcumque poſſit agere. *Quid eſt homo, & quæ gratia illius? & quid eſt bonum, aut quid nequam illius?*

*Serm. 136. de ieiun.*
II. Deus non eget noſtrorum operum.
*Pſal. 15. 2. Iob 35. 7.*
*Eccl. 17. 3.*
*Eccl. 38. 7.*

Miſit quondam Deus per Prophetam Zachariam, vt quibuſdam hominibus, diceret, quibus videbatur, quòd ſibi multùm Deum deuouiſſent: quia multoties ieiunabant, vt ſcire



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

quòd ſibi nec atomo valerent omnia eorum ie-
Zach. 7. 5. iunia *Cùm ieiunaretis & plangeretis, numquid ieiunium ieiunaſtis mihi?* Quid mihi per hoc dediſti? quid mihi inde lucri, quòd ieiunes, aut non ieiunes? Ad quod Deus oculos figit, & id
☞ 19 quod maximè deſiderat, eſt cor tuum ac vo-
Eccleſ. 17. 7. luntas. Hoc dixit Spiritus S. id eſſe quòd creando hominem ab illo Deus prætendat. *Deus creauit de terra hominem, & ſecundum imaginem ſuam fecit illum &c. Creauit ex ipſo adiutorium ſimile ſibi &c.* quid ab eis exigebat? Ad quid aſpexit? *Poſuit oculum ſuum ſuper corda illorum* Non poſuit oculos ſuos ſuper manus ipſorum: hoc enim faciunt, qui aliorum operâ & donariis indigent, vt ait Dauid de illis ſeruis & ancillis, qui eos defixos tenent in manibus
Pſ. 122. 2. dominorum ſuorum ac dominarum: *Sicut oculi ſeruorum in manibus dominorum ſuorum, & ſicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ.* Hoc quod de te flagitat Deus, cor tuum eſt, ac tua volun-
Hom. 28. tas; hanc petit, hanc deſiderat, hac illi ſatisfit, hac deuincitur (vt alio loco dicemus).

D. Avg. Tom. 8. in pſal. 50. ſacrif. Deo. Mich. 6. 6. 7. — Hinc deducit D. Auguſt. quàm magnum nobis Deus præſtet beneficium, cùm a tali nos liberet ſollicitudine, quæ nos poſſet grauiter affligere, ſicut quondam hæc cura preſſit D. Prophetam Mich. vbi totus anxius quærit: *Quid dignum offeram Domino?* Si enim tenentur ſubditi cum muneribus recurrere ad Reges ſuos & Principes, in ſuæ ſubiectionis recognitionem; ſi tenentur Principibus offerre dona in grati animi ſignum, & teſſeras eius quod ſperant hi, qui ab eis magna receperunt beneficia, & priuilegia nobilitatis, qui ab eis dependent, adhuc maiorum ſpe ducti; quàm arctè tenetur homo Deo occurrere oblationibus ſuis, vt Regum Regi, & Dominorum Domino, à quo recepit, & recipit eſſe ſuum, vitam, reſpirationem & quidquid habet in ordine ad naturam, & beneficia, quæ omnem excedunt conſiderationem in ordine ad gratiam, ac expectat eam, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec potuit cor hominis, in in ordine ad gloriam, imaginari ſi conuenire debet munus eius, cui offertur, magnitudini, quod dignum Deo offeres, & quod ſupremæ atque altiſſimæ correſpondeat Maieſtati? *Quid dignum offeram Domino!* Quid? tantane ſunt maieſtate digni agni, & vituli, quin etiam omnia terræ animalia, imò & ipſe meus primogenitus? *Numquid offeram ei holocauſta, & vitulos anniculos &c. Numquid dabo primogenitum meum?* Inſuper quidquid aut habeam aut poſſim ei offerre, hoc totum eius eſt: & licet Dei non eſſet, nihil eius indiget, nec meis alitur vaccis, nec ouibus meis paſcitur, nec auro meo fulget ſplendidius, nec diteſcit argento: quam ipſe ra-
tionem declarat ex ore Dauidis Regis: *Si eſurie-* Pſ. 49.
*ro non dicam tibi: meus eſt enim orbis terræ, &* 12.
*plenitudo eius, &c. Numquid manducabo carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo!* Ne te affligeris, ait S. Doctor, extra te quærens quod offeras Deo, & ei placeat: hoc enim ipſum intra te contines, cor, inquam, & voluntatem tuam.
*Sanè in te habes quod offeras. Noli extrinſecus thu-* Pſ. 55.
*ra comparare, ſed dic. (In me ſunt Deus vota tua.) Noli extrinſecus pecus, quod mactes, inquirere, habes in te, quod occidas. (Sacrificium Deus ſpi-*
*ritus contribulatus.)* Hoc præcipuum Deus conſi- Pſ. 50.
derat, aptat, & à te repoſcit; cætera verò in tan- 19.
tum admittit & præcipit in quantum cor, voluntatem & ſpiritum habent, quo illa ei offers; nulla denique erit Deo grata oblatio, ſi eam ex corde non obtuleris. Proinde, primam, quam à te poſcit, oblationem, & ſuper quam ponit oculos ſuos, cor, voluntas & ſpiritus eſt.

Quando Dominus deſcendit ſuper montem Sinai, legem populo ſuo daturus, præſcriptis iam moralibus præceptis, decẽ ſcilicet præceptis Decalogi, & poſt hæc iudicialibus, vtique bono plebis regimini neceſſariis, quæ proinde ſtatim iuſſit promulgari, progreſſus eſt vlteriùs ad ceremonialia, tabernaculi, altaris, ſacrificiorum, oblationum, quas ſibi voluit præſentari, & ante omnia, pro fundamẽto in hac materia ponit, & præcipit Moyſi vt omnibus indicet, vt quiſquis illi quidquam offerre intendit, ſciat, primam oblationem
eſſe debere cordis ſui ac voluntatis, *Loquere filijs* Exod.
*Iſrael, vt tollant mihi primitias ab homine qui of-* 25. 2.
*feret vltroneus, accipietis eas.* Notauit hæc verba III.
Rupertus Abb. & ſingulariter ea perpendit no- Cor
ſter Cardinalis Caietanus; vbi aduertit, quòd requi-
Hebræus textus legit: *Ab omni homine, qui ſponte* rit
*volet ipſe cor eius, accipietis eleuationem meam.* Deus.
Transfert Lypoma. *Ab omni homine qui ſponte offert cor ſuum, vel ab omni homine, qui voluntariè exhibuerit cor ſuum.* Duo (inquit Caietan.) requirit Deus à quocumque, qui voluerit aliquod Deo ſacrificium offerre, vel obſequium: primum, vt voluntarium ſit & ex corde: *Offeres ſpontaneè.* Secundum, in tantum ſit voluntarium, vt cum oblatione pariter coniungatur ipſum cor ac voluntas: illa enim eſt, ſuper quam primariò Deus
oculos ſuos ponit. *Cõditiones offerentis Deo, deſcri-* Cai.
*buntur ab ipſo Deo duæ. Altera quòd ſponte vellet, altera appoſitiuè, quòd cor eius vellet; vult enim quòd non ſolũ ſpõte, ſed ex intimo corde debeat offerre*

» *quicumq; offert*. Illas, quæ tales non fuerint, obla-
tiones, non vult Deus in cõpută ſuum acceptari.
» Hoc mandatum intimauit Moyſes populo iiſ-
Exod. » dem verbis quibus Deus illi hoc propoſuerat.
35. 5. » *Iſte eſt ſermo, quem præcepit Dominus. Omnis*
» *voluntarius & prono animo offerat Domino: au-*
» *rum, argentum, & æs, hyacinthum, & purpuram,*
*coccumque bis tinctum, & byſſum pilos caprarum.*
» Cerne ordinem (monet Caiet.) Primò ſignificat
» conditiones offerentis vt ſit talis, qui ex corde &
» voluntariè offerat: & deinceps ſignat illa, quæ
» poſſunt offerri, aurum, argentum, æs &c. vſque
» ad pilos caprarũ. Tam bonus eſt Deus, vt res tam
» viles recipiat. verũtamen hoc ita eſt, ſuppenendo
primùm cor, quàm illas vt clariùs oſtendit in ſa-
» crificiis Abelis & Caini, de quibus Spiritus S.
» ait eum primò ſpectaſſe voluntatem & cor offe-
Gen. 4. » rentium, quàm ipſa oblata. *Reſpexit Dominus ad*
4. » *Abel & ad munera eius*. de quibus infra.

Eſt equidem hoc nobis magnum beneficium
per hoc quòd Spiritus S. exponit propriis ſuis
Eccl. 34. verbis: *Spiritus timentium Deum quæritur, &*
14. *in reſpectu illius benedicetur*. Quærit Deus in
IV. ſeruis ſuis ſpiritum, & pro eius menſura dabit
Quærit illi benedictionem ſuam & præmium. Per ſpiri-
à nobis tum intelligit cor & voluntatem: ſic explicat
Deus ſpi- D. Bernard. *a.* corde enim & voluntate indigos
ritum, id vocat Deus pauperes ſpiritu. Hic ille eſt, quem
eſt inten quærit Deus, & ponit ſuper eum oculos ſuos,
tionem hoc eſt, ad opera facta ex corde, cum ſpiritu &
bonam. vitâ. Olim dixit Christus: *Spiritus eſt, qui viui-*
a Serm. 1. *ficat, caro autem non prodeſt quidquam*. Opus ſi-
omnium ne voluntate, carò eſt ſine ſpiritu, eſt mor-
SS. tuum; opera viua petit Deus. *Holocauſta me-*
Ioan. 6. *dullata offeram tibi*, promittit Dauid. Hæc cau-
64. ſta vitulorum plena medullâ, quia parum ori
Pſ. 65. 15. ſaperet os medullâ vacuum. Hoc (teſte D. Aug.)
Lib. Solil. voluit Deus nobis ſignificare per Moyſen,
c. 24. quando ait: *Conſiderabo nouiſſima eorum*. Et
Deut. 32. quod de Deo nobis loquitur Iob: *Vniuerſorum*
20. *finem ipſe conſiderat*. Quia *in omnibus quæ agi-*
Iob 28. 3. *mus, finem intentionis, magis quàm actum opera-*
*tionis intendit*. Quandoquidem & homines no-
biliores ingenio, in eo quod illis offertur, magis
intuentur bonam voluntatem, & arctiùs ipſo
cordis affectu obligantur.

Apud Sur- Stupendum quid narrat nobis Fortunatus
ium Ianua Auctor veteranus, *a.* quod conſcripſit de mira-
de S. Hi- culis S. Hilarij Epiſcopi. Mortuus multa edidit
lario, miracula, acceſſerunt ad eius ſacellum mercato-
a Lib. 2. res duo panem offerentes cereum magni pon-
V. deris. Ait alter alteri: Offeramus panem iſtum
Miraculũ cereum integrum Sancto illi, qui licet ſit mino-
ris pretij, ſpero ei gratum fore. Conteſtatus eſt
alter, ſe nolle parti ſuæ cedere & illam perdere:
nihilominus, acceſſit alter ad altare, & in no-
mine amborum integrum panem obtulit, po-
nens eum in altari. Illico in conſpectu omnium
qui aderant, diuidebatur panis ille per medium,
& Sanctus ille recipiens partem eius, qui eum
offerebat ex corde libero & bona voluntate, al-
terum quaſi ſclopo exploderet, fortiter reie-
cit: hoc facto indicans, nullatenus ſe hoc
acceptare, quod liberâ non offerebatur volun-
tate.

Hoc idem egit inſignis & fortiſſimus ille
Martyr Mamantus, vel vt alij Mamas; de quo » Orat 1
hoc D. Gregor. Nazianz. refert: Imperator » in Iu-
Conſtantius duos habebat conſobrinos, Gallum » lian.
& Iulianum, qui cùm eſſent adoleſcentes, & »
præclara ſancti Martyris Mamanti. facinora at- »
tenderent, reſoluerunt ambo permagnificum & »
regium ſuper eiuſdem ſepulchrum templum ex-
truere, cuius inter ſe dipartiri ſunt ſtructuram, »
vt hic medietatem vnam; ille verò alteram ſu- »
ſciperet ædificandam: proſpere partem ſuam »
Gallus, vtpote pius, fidelis, deuotus abſoluit, »
Iulianus verò minimè: cùm enim fundamen- »
ta templo foderet, tota contremuit terra, vbi
ſepulchrum erat Martyris Mamantis, & pars »
illa corruit: erat enim Iulianus, impius, & »
aggreſſus eſt opus illud, tantummodò vt opi- »
nioni plebis ſatisfaceret: Si hoc egerit Sanctus
ille, quid faciet Deus? ſi oculos ſuos Sanctus
hic poſuit in cor eius, qui panem offerebat, &
eſt intuitus eius voluntatem, & intentionem
perpendit, quid aget Deus? Nemo dubitat, quin
id, quod integra non offers voluntate, illud tibi
in faciem ſit reiecturus, conformiter verbo illi:
*Diſpergam ſuper vultum veſtrum ſtercus ſolemni-* Malach.
*tatum veſtrarum*. 2. 3.

Semper admiratus ſum quod S. Scriptura no- 21
bis narrat de Chaldæis & Babyloniis, eorum-
que magno Monarcha Nabuchonoſor. Refert
Hieremias Propheta; principes eius iniiſſe con-
ſilium ac dixiſſe: Offenderunt ciues Hieruſalem
grauiter Deum ſuum, qui idcirco eis minatus
eſt per manus noſtras ciuitatem & oppidanos ſe
caſtigaturum, conſultum igitur eſt, vt accin-
gamur ad exequendam huius pœnæ ſententiam.
His auditis decreuit Nabuchodonoſor validum
exercitum conſcribere, aſcendere contra Hie-
ruſalem, & ciuitatem cum ciuibus demoliri.
*Hoſtes eius dixerunt, non peccabimus, pro eo,* Hier. 50. 7.
*quod peccauerunt Domino, decori iuſtitiæ, & expe-*
*ctationi patrum eorum*. Executus eſt hoc ſuum

decre-

decretum per duces ſuos & exercitus, & in tan-
tum placuit eorum opus Domino Deo vt eos
ſanctificatos ſuoſque ſeruos nominauerit, faſſus
quod eis præcepiſſet, hanc ſententiam exeque-
Iſa. 13. 3. rentur in Iudæos; ita loquitur. *Ego mandaui*
*ſanctificatis meis, & vocaui fortes meos in ira mea*
Hier. 25. 9. &c. *Dominus exercituum præcepit militiæ belli:*
Et per prophetam Hierem. *Pro eo quò non audi-*
VI. Difficilis ſcripturæ locus exponitur. *ſtis verba mea, ecce ego mittam & aſſumam vni-*
*uerſas cognationes Aquilonis, & Nabuchodonoſor*
*Regem Babylonis, ſeruum meum, & adducam eum*
*ſuper terram iſtam* &c. Et in alio loco. *Ego dedi*
*omnes terras iſtas in manu Nabuchodonoſor ſerui*
Hier. 27. 6. *mei.* Inſuper cùm Rex ille armis ſuis cinxiſſet
Hieruſalem deuaſtans incendio & ciuitatem &
templum, habitatorum quoſdam occidens, alios
in captiuitatem ducens, oſtendit Deus ſibi opus
hoc placuiſſe. Sicut in ſimili occaſione vocauit
ad ſe prophetam ſuum Ezechielem, & confe-
rens cum eo, ait: O, Propheta, iam tibi notum
eſt, Regem Nabuchodonoſor, & Principes
eius, & exercitus labore permagno mihi deſer-
uiſſe, nec literum milites vllum recepiſſe, nec
aliud quoddam beneficium obtinuiſſe in ſatisfa-
ctionem tanti laboris. Certè æquitas requirit, vt
illis ſatisfaciamus; proinde ſtatui illis tradere
manubias & ſpolia Iudæorum, quos puniérunt,
ſicut tortori traditur latronis ſuſpenſi tunica
*Fili hominis, Nabuchodonoſor Rex Babylonis ſer-*
Ezech. c. 29. 18. *uire fecit exercitum ſuum ſeruitute magna* &c.
*& merces non eſt reddita ei, neque exercitui eius.*
Contemplare (obſecro) Regis huius opera, quæ
adeò Deo placuerunt. Attende, quàm ex volun-
tate Dei fuerit id omne, quod ipſe & milites e-
ius effecerunt: verumtamen ſcito, quòd Deus
ſe ab illis tam grauiter offenſum quereretur, vt
multis ante temporibus, voluerit vt propheta
ſuus Iſaias prædiceret, à Deo Regem illum ca-
ſtigandum, omnes milites perdendos, & terram
eius deſolandam, ob id quòd contra Hieruſalem
Iſai. 13. 1. commiſerant. *Onus Babylonis* incipit propheta
Iſaias, audite ſupplicium, quod Deus ſuper Ba-
bylonem eſt ſumpturus, & proſequitur mille
minas ei intentans: *Et erit Babylon illa glorioſa in*
*regnis, inclyta ſuperbia Chaldæorum, ſicut ſubuer-*
*tit Dominus Sodomam & Gomorrham: Non ha-*
*bitabitur.* O cælorum Deus, quid hoc? Ex par-
te vna, dicis tibi placitum, quod Rex ille exerci-
tu ſuo executus eſt, ab altera verò, ita grauiter
te oſtendis exaſperatum, vt æternum omnibus
exitium clademque miniteris. Cum hoc pro-
pheta agis iuſtum eſſe illis laborem ſuum ſolui,
quo laborauerunt ad mentem veſtram & famu-
latum. Cum alio verò illis cædem crudeliſſi-
mam intentas: Reuera autem & ipſo effectu om- Hiere. 50.
nes illos neci crudeliſſimè tradidiſti, vt refert & 51.
propheta Hierem. Iſai. 13.

Caſus hic eſt, quem Deus expoſuit per Iſaiam,
quòd certo certius, opus illud, quod Rex ille vi-
ribus & armis exercituum ſuorum effecit, bo-
num eſſet in quantum pœna decreta à Deo, ob
peccata populi ſui, ac ciuitatis Hieruſalem, & ad
eum finem Deus ita illam diſpoſuerat. Verum-
tamen opus bonum non fuit, ſecundùm quod
procedebat Rex ille, & Principes & milites e-
ius; quia id non egerunt, vt Deo complacerent,
aut famularentur, neque eâ intentione, vt ille ex
hoc glorificaretur. nec tale quid cogitabant, ſed
proprij honoris ambitioſi, & intentione ſuper-
bâ, quâ ipſe Rex, & exercitus eius intendebant
occupare Hieruſalem, & ſibi dominium arripe-
re totius Regionis, omniumque ciuium: ſibi
perſuadentes, quòd brachij ſui fortitudo, & non
Deus eſſet, qui ciuitatem, ac ciues in eorum
traderet poteſtatem: Optimè hoc ipſum Deus Iſai. 10.
profeſſus eſt per Iſaiam: *Væ Aſſur virga furoris*
*mei* &c. *Ad gentem fallacem mittam eum, &*
*contra populum furoris mei mandabo ei* &c. *vt pe-*
*nat illum in conculcationem* &c. *ipſe autem non*
*ſic arbitrabitur, & cor eius non ita exiſtimabit, ſed*
*ad conterendum erit cor eius* &c. *Dicet enim:*
*Numquid non Principes mei ſimul Reges ſunt?* &c.
Hoc erit; (ait Deus) faciet Rex quod volo, vt
fiat; quo meæ iuſtitiæ ſatisfiet. caſtigando pec-
cata populi mei per manum eius. Verumtamen
opere illo ad latus ſepoſito, inibo rationem cum
corde eius, inquiram intentionem eius, quid in
illo opere prætenderit in quantum laborauit ipſe
cum ſuo exercitu, vt omnibus pateat, quòd hoc
non egerit, vt mihi complaceret, ad ideo ſolùm,
vt ambitioni, & ſuperbiæ ſuæ ſatisfaceret & hanc
eius peruerſam intentionem ſeueriùs caſtigabo Iſai. 10.
*Et erit, cum impleuerit Dominus cuncta opera* 12.
*ſua, in monte Sion, & in Hieruſalem, viſitabo ſu-*
*per fructum magnifici cordis Regis Aſſur, & ſuper*
*gloriam altitudinis cordis eius.*

Peracto iam opere, licet id quod factum eſt,
ſit in te ſecundum beneplacitum meum, defle-
ctam oculos meos ad cor, ex quo hoc prodiit,
& quo hoc fecit, examinabo intentionem eius,
ſecundùm quam ei vel ſoluam, vel eum puniam.
Ex quo videre licet id, quod modò declaramus:
quod *Spiritus timentium Deum quæritur, & in* Eccli.
*reſpectu illius benedicetur.* Poſſunt equidem
opera veſtra in ſe eſſe optima, excellentiſſima, &
quibus id agatur, quod Deus intendit, vt fiat:
adiutus

adiutus pauper, redemptus captiuus, hoſpitalis domus reſtaurata, amplificatus cultus Diuinus; vt autem tibi Deus ſoluat, eò quòd hæc & illa egeris: non tantùm conſiderat in his, id quod agis, quantùm cor tuum & voluntatem, ex qua hoc agis, & ita licet opera veſtra in ſe ſint præclara, bona & proficua, attendit nihilominus Deus ad voluntatem veſtram, examinans veſtram intentionem, cor & ſpiritum, hoc enim expendit Deus, & ſuper hoc ponit oculos ſuos.

Pſ. 74. 3. *Cum accepero tempus, ego iuſtitias iudicabo.* q. d. Ne tibi perſuaſeris, iam omnia perfecta eſſe, dando eleemoſynas, ieiunando, obeundo ſtationes, viſitando hoſpitalia, licet illa opera in ſe ſint iuſta & ſancta, aliter longè ea Deus conuertet, circum circa conſiderabit, iuxta eam intentionem, quâ ex corde proferuntur, examinabit quid in eis ob oculos mentis habueris, quid te ad illa agenda permouerit & inſtigauerit: quia tantùm tibi retribuet, ſecundùm quod intendiſti eius gloriam & ſeruitium. *Spiritus quæritur* &c. Tract. 2. nu. 189. & ſeqq. Gen. 1. 31. Congruenter huic materiæ declarauimus hoc quod prælibauimus, quod Spiritus Sanctus de primæuis patribus noſtris ait; mox vt eos creauerat, *poſuit oculos ſuos ſuper corda eorum.*

## §. 10. *Non tanti Deus opus æſtimat, quanti ipſum cor: eſt autem hoc in magnum bonum noſtrum, vt poſſimus facere inuentionem oculorum: ſic loquitur Salomon.*

☞ 11 HAnc tradunt Doctores cauſſam (& quidquid ad hanc materiam pertinet, luculenter ſcripſit D. Auguſt.) Lib. 15. de Ciuit. c. 7. cur Deus Abelis ſacrificium approbauerit, reiecerit autem illud Caini; quando enim acceſſit Abel Deo oblaturus ſacrificium, in ſacrificio primùm omnium poſuit cor ſuum, & ſeipſum; vnde conuertens Deus oculos ſuos ad ſacrificium, primò vidit ipſum Abelem & cor eius, deinde intuitus eſt ipſum ſacrificium. *Reſpexit Dominus ad Abel & ad munera eius*, & ideo acceptauit tanquam viuum, cùm cor haberet vitæ principium; verumtamen cùm Cain ſacrificaturus adeſt, poſuit vnicum & nudum ſacrificium, non apponens cor ſuum, nec ſeipſum, vnde velut ſacrificium mortuum ſine corde, ſine vita, illud Deus non reſpexit, non acceptauit, à ſe repulit. Gen. 4. 4. Et quidem in ſacrificio Iulij Cæſaris cùm tantum ab hoc diſtet, augurati ſunt aruſpices vt ſignum mortis, quod vitulus diis ſacrificandus corde careret, vt refert Appianus & nos aliàs retulimus.

I. Cur Abel ſit non Cain Dominus reſpexerit ſacrificium.



Quod inſpicit, attenditque Deus, cor eſt. D. Auguſtinus illud exponens Pſalmi quinquageſimi: Lib. 2. c. 25. *Sacrificium Deo, ſpiritus contribulatus.* Quid? inquit, cogitaſne Dominum ſibi tauros, ſibi vitulos acceptare? Olim ea grata habuit, in quantum figura erant, & ea acceptat ſecundùm cor tuum, quo illa dedicas. Viſne Dei placare vindictam? *Offer, quid? ſanè in te habes quod offeras. Noli extrinſecus thura comparare, ſed dic, in me ſunt, Deus, vota tua. Noli extrinſecus pecus, quod mactes, inquirere; habes in te quod occidas: ſacrificium Deo ſpiritus.* Tract. 2. p. 1. §. 56. Pſ. 50. D. Aug.

Petit & vult Deus ſacrificium viuum. *Hoſtiam viuentem*, ait D. Paulus. Ad Rom. 12. 1. Nec eſſe poteſt ſine corde vita, de quo ait Spiritus ſanctus: *Ex ipſo vita procedit.* Prou. 4. 23. de quo latius. Et hoc tibi maximè conducit (inquit Spiritus ſanctus) quia *in reſpectu illius benedicetur*: Tract. 2. p. 2. per tot. Soluet tibi Deus in reſpectu illius, quod viderit in corde tuo, in voluntate tua, & in intentione tua. Eccl. 34. cit. Ex nobis ipſis pauperes ſumus, ſi nobis tantummodò Deus vellet compenſare in reſpectu manuum noſtrarum, paruum eſſet præmium, & merces exigua, cùm ſint illæ tam exiguæ ſuis operibus, vt ob paruas ſuas vires, parua ſint, pauca ſint, tam imperfecta ſint, vt meritò de illis dicat Iſaias: *Quaſi pannus menſtruatæ vniuerſæ iuſtitiæ noſtræ.* Iſa. 46. 6. Miſeros nos, ſi Deus nobis non vltra ſolueret, quàm opere explemus; quia eo modò, cùm damus fruſtum panis pauperi, alio pari nobis ſolueret, & pro diſſciſſâ chlamyde, quâ nudum veſtis; aliâ itidem lacerâ ſatisfaceret, & hoc nos à pauperie non liberaret. Magnum certè beneficium: quia nobis retribuet, iuxta quod viderit eſſe cor noſtrum, quod ſic ſe habet, vt quantò ſunt manus minores ad agendum ſeu operandum, tantò poteſt ſe plus extendere volendo & deſiderando, & hoc ſine termino: & Deo ſoluente in reſpectu illius, erit & ſine termino merces. Ita conſtat, quòd ſatisfecerit Abrahæ, & eius ſacrificium ac obedientiam tanti fecerit, ac ſi de facto filium detruncaſſet, quia licet illum exteriori opere non occiderit, occidit tamen voluntate, & iam occiſum obtulerat, cuius factum Deus acceptauit, illum pleno ore ſic affatus. *Quia non pepercisti vnigenito filio tuo propter me.* Gen. 22. 16. Quomodo? numquid illi pepercit ſi de facto eum non decollauit & liberum dimiſit? quia licet illud fuerit in opere; in corde tamen & promptâ voluntate, iam quaſi eum capite plexerat, & hoc coram Deo ludos agit, eumque valde recreat. De vidua, quæ ſolùm duo minuta miſit in

II. Eadem de cauſſa gratum habuit ſacrificium Abrahæ.

Marc. 12. dona Dei, dixit Chriſtus, quod *plus omnibus*
44. *miſit.* Quia ſic erat in voluntate eius, & deſiderio plus omnibus dandi, licet in opere minus cæteris dederit. Apoſtolis dixit, quòd illos remuneraturus eſſet; quia propter eum reliquiſſent omnia, quæ mundus continet: quia licet in effectu non dereliquerint, cùm numquam habuerint, & nemo relinquat id quod non habet, omnia tamen voluntate reliquerunt. Quia licet omnia poſſediſſent, & fuiſſent omnium regnorum orbis Domini, omnia propter Chriſtum, eius ſequendo veſtigia, & ſeruiendo abdicaſſent, & hoc ſufficit, vt illis toto pectore dicatur:
Matt. 19. *Reliquiſtis omnia.* Et tantum præmium offeratur,
27. quaſi poſſidendo omnia reipſâ & effectu totum floccipendentes abieciſſent in gratiam Chriſti.

Pſ. 17. 21. Hoc olim cogitauit David, dum diceret: *Retribuet mihi Dominus, ſecundum iuſtitiam meam, & ſecundum puritatem manuum mearum in conſpectu oculorum eius.* Retribuet mihi Dominus, iuxta bonum quod egero, non in ſeipſo, ſed ſecundùm quod fuerit in oculis eius. Et quid eſt,
1. Reg. 16. quod ipſi conſpiciunt? Cor. *Homo videt ea*
7. *quæ parent* (teſtatur Samuel Saüli) *Dominus au-*
☞ 23 *tem intuetur cor.* Ne credideris, quòd quando non potes dare niſi parum, paruam das eleëmoſynam, reipſâ Deus parum tibi ſoluet: ſi cor enim, ſi voluntas, ſi animus magna ſint, etiam ſecundùm hæc erit merces tua. Hoc indicauit Spiritus ſanctus nobis bonum ſuggerendo conſilium admirabilis inuentionis, quâ parua faciendo lucrum multum, & paruis obſequiis mercedem nanciſcamur infinitam. *Bono*
Eccl. 35. *animo gloriam redde Deo, & ne minuas primitias*
12. *manuum tuarum &c. bono oculo adinuentionem facito manuum tuarum: quoniam Dominus retribuens eſt.* Proh, quàm pulchra verba! Animo generoſo da gloriam Deo. Animoſo pectori proprium eſt, cum honore proſequi, quem debet honorare. Fidelis & bonus ſubditus Regis ſui conſulit honori. Filius nobilis plurimùm defert patri ſuo. Seruus ingenuus Dominum ſuum reueretur. Tu quoque quidquid agis in laudem referas Dei, qui Rex tuus eſt, Pater &
1. Cor. 10. Dominus. *Siue manducatis, ſiue bibitis, ſiue aliud*
31. *quid facitis omnia in gloriam Dei facite*: ita monet D. Paulus. Addit inſuper, & *non minuas primitias manuum tuarum.* Id eſt, opera quæ facis in eius gloriam: ex ſe enim nihil ſunt; ſi ea diminuas, minus erunt nihilo. *Ne minuas,* quin potiùs ſtude ea maiora facere, & vt creſcant. Et ſi ex ſe parua ſint, fac maiora. Das fruſtum panis famelico: res parua eſt, fac magnam: das detritum pallium: res parua eſt, fac pluris valeat. Ieiunas vno die, parum hoc eſt, adnitere, vt dierum plurium ieiunio æquiualeat. Quomodo hoc efficiam? Num mihi forſitan ſunt manus Dei, qui de paruo, imò de nihilo eduxit cælum, terram, ſtellas, arbores, lunam, maria, & de quinque panibus ac duobus piſcibus prandium creauit quinque hominum millibus? Quâ arte poſſim ego ex paruo magnum facere? Dicam tibi (inquit): facito inuentionem boni oculi manibus tuis. *In bono oculo adinuentionem facito* &c. Arabicum hoc ſonat, non capio. Vt ego Diuinis oculis illudam? Egone viſum eius inficiam? Egone comœdias exercem manibus vltro citroque colludendo?

O quanti refert reſpectu Dei bonus oculus III.
ſanctæ intentionis in manibus bonorum operum! Neſcio quo meliori modo illud vobis exponam, quàm eo, quòd ſingulis diebus præ oculis videris. Numquam vidiſtis ſpecilla illa IV.
acuta formatis in eis variis notulis ſeu punctulis Simil.
in formam quadri, quibus poſitis ante oculos veſtros, res vna viſa, videtur tibi non vna ſed multæ, tot quot ſunt puncta ſpecilli? Quod artificium tam vtile ac magnum eſſet mercatori Genuenſi, qui negotiatur mutuando Regi pecunias, qui ſciret tale conficere ſpecillum, quod poſitum ſupra monetam argenti quinque aſſium repræſentaret oculis Regis centum mille ducatos aureos, & hoc tam veraciter, vt Rex efficaciter crederet illam monetam valere centum mille ducatis, ſeque ſincerè obligaret in iſto pretio, negotiatori ſoluturum? Quod tam præclarum foret inuentum in lucrum veſtrum, quòd vendendo currum onuſtum lignis, ſuperponeres ſpecillum, ita vt videretur aurum probatiſſimum, cum gemmis immenſi valoris in oculis eius, qui eum videret, tam ſyncerè, vt pro tali tibi aurifex totius mundi expertiſſimus ſolueret, ſeu Princeps quis potentiſſimus?

Hoc ipſum, quod apud homines cenſeretur oculorum præſtigium, petit Deus vt agas cum illo: *In bono oculo adinuentionem facito manibus tuis.* Superaddas operibus tuis vitrum ſeu ſpecillum ſanctæ, puræ & omnibus numeris abſolutæ intentionis, & quantum illud vitrum repræſentabit, tantum Dei oculi in operibus tuis videbunt, & tantum pro tanto (ne dubites) tibi perſoluet. Elargiris fruſtum panis: ô quàm paruum quid! ſuperadde ſpecillum bonæ intentionis ac deſiderij: vt Deo dicas: Domine Deus, elargior fruſtum hoc panis huic famelico.

co,

eo, non do plura, quia plura non habeo: verùm hoc ſcito, me deſiderare, & illi & omnibus tuis pauperibus elargiri, quotquot habes in mundo ſufficiens alimentum. Hoc modo creſcit fruſtum panis in oculis Dei tantùm, quòd in eo Deus conſideret, totum omne quod optaſti pauperibus ob eius amorem elargiri, & vt tale, remunerabitur. Egrederis de templo, pluribus pauperibus occurris, vni ſoli das eleëmoſynam vnius quadrantis: quia plura non habes, nec tibi ſufficit quod cæteris dare poſſis; ſuperpone huic nummulo ſpecillum maximi deſiderij: dic Deo: Domine, ſicut hoc parum do vnico pauperi, vellem dare plura in tui honorem, omnibus iſtis indigentibus: quotquot hi fuerint, quos vitrum illud repræſentat, tot erunt in oculis Dei, & tanti opus illud æſtimabit, quaſi reipsâ omnibus dediſſes ſufficiens eorum neceſſitatibus alimentum. Ieiunas in Quadrageſima prandio communi contentus: quia non ſufficiunt tibi vires ad arctius ieiunium: huic ſuperadde deſiderium & voluntatem in oculis Dei, quòd optares ad ipſius obſequium omnibus diebus in pane, & aqua ieiunare. & firmiter crede, quod omnes illos dies videat Deus in hoc communi ieiunio, ita ſincerè vt te ſit præmiaturus, quaſi totam Quadrageſimam ſolo pane & aquâ parcus tranſegiſſes.

a 2.2. q. 152. a. 4. D. Aug. b Tom. 6. lib. de bon. coniug[illegible].

Ad hanc doctrinam Theologorum Princeps D. Thom a declarat D. Auguſt. b ſententiam, quòd tantùm meruerit Abraham iunctus matrimonio, vt eus pluribus mulieribus, procreans filios, quantùm D. Ioannes Euangeliſta manens virgo, & conſeruans virginalem pudicitiam, eamque tam excellentem, vt ob eam Chriſtus matri ſuæ ſanctiſſimæ & puriſſimæ filium eum adoptauerit ac conſignarit. Sic habet: *Non impar meritum eſt continentiæ in Ioanne, qui nullas expertus eſt nuptias, & in Abraham, qui filios generauit.* Indubium eſt apud omnes ſtatum virginalem & continentem, prærogatiuis toti mundo notiſſimis præcellere ſtatui coniugali, de quo nemini licet dubitare. *Continentem coniugato præferre* (docet D. Aug.) *quis ambigat?* Nihilominus poteſt quis vxoratus, intus ita affici virginitati, vt æquiparetur ei, qui eam opere ipſo cuſtodit, & talem credimus Abraham, qui licet ex Diuina diſpoſitione plures duxerit vxores (qui vtique in Patriarchis ſuis ſtatum virginalem non permittebat) licet eum effectu non ſeruaret, eum tamen tam integrum habuit in affectu, corde & voluntate tota te totâ vitâ ſuâ, ſicut Ioannes in opere. *Continentiam Ioannes in opere, Abraham in ſolo animæ & habitu habuit.* D. Auguſt.

V. Meritum bonæ intentionis quàm magnum.

Lib. 16 de Ciuit. c. 36

Circa hoc proſequitur D. Thom. expendens doctos & graues articulos, quos mirâ eruditione exponit eius Interpres Cardin. Caietanus; inſuper etiam declarauit D. Auguſt. loco citato. Quomodo plus meruerit Abraham ſæpius vxores ducens, quàm Iſaac eius filius, qui ſolùm Rebeccam habuit vxorem: quia hoc egit Abraham exteriori opere, quia Deus hoc eo modo de illo decreuerat, corde tamen & affectu magis optans & deſiderans continentiam, quàm Iſaac. Circa quam materiam varia tradit hic Sanctus documenta. Licet hic videre, quantùm excreſcat meritum in paruis operibus, eis ſuperaddendo ſpecillum bonæ intentionis. O quantum hoc beneficium, vt diuites ſimus in bonis operibus, licet in ſe pauca ſint, & vix vllius meriti. Cuius rei hanc do rationem: quia Deus eſt, qui illa remunerat: c *Quoniam Deus retribuens eſt*, & reſpectu illius, cordis deſideria pro operibus computantur.

D. Aug.

Nota eſt hæc doctrina Theologorum Deum eſſe effuſiorem in operibus noſtris bonis compenſandis, quàm in malis puniendis; in his non tantùm punit opus externum, quantum internam intentionem & cordis affectum. Ore tenus dixiſti mala proximo, improperia, calumnias, exprobrationes, quibus eum pudore confudiſti, in corde & mentis affectu optaſti ea fuiſſe glandem plumbeam quâ eum transfigeres, eo modo (crede mihi) te puniet Deus, ac ſi eum glande traieciſſes. Cùm mulierem intuereris viro nuptam, eius tibi placuit faciei venuſtas, deſideraſti eâ abuti, ita ſeuerè te puniet Deus, ac ſi opere cum ea adulterium commiſiſſes: quia Deus intuetur cor.

VI. Mala intentio quàm pernicioſa.

Quantò igitur liberalior præmiabit opera tua bona, & non ſecundùm quod in ſe ſunt, ſed iuxta quod fuerint in corde & mentis affectu. *Frater* (ait D. Auguſt.) *hoc attende, ſi non habes facultatem, habeto voluntatem.* Si media tibi non ſuppetunt, quibus pauperibus ſuccurras; ſi non integræ vires ad ieiunium, ſi non fortitudo ad maiora opera in Dei famulatu, habeto magnum deſiderium, magnam voluntatem, hanc enim Deus intuetur, & in conſideratione huius tibi ſatisfaciet, non ſolùm pro eo quod ages, verùm & pro eo quod agere optaſti: *Quoniam Dominus retribuens eſt.* Non eſt ſimilis hominibus, qui ex hoc quòd ſint indigentes, eis deſideria non ſufficiunt, ſed operibus ſolis ipſis ſatis fit, quæ primariò petunt. Facito igitur in operibus

D. Aug.

Eccle. 35. 10.

tuis adinuentionem Diuinis oculis intentionis ſanctæ, ſit illa ardentibus deſideriis exæſtuans. Sit tibi exemplo vidua illa, de qua ſuperiùs. quæ duo parua minuta elargiens, (Deo teſte) plus cæteris omnibus miſit, & eo modo eſt ei à Deo ſatisfactum.

### §. 11. *Ne vendideris opera tua bona oculis hominum: eſt enim eorum merces ſine fructu vanitas, vt dixit Dauid.*

☞ 24 THO. MOR.

QVis non admiretur ſententiam ſancti illius Martyris Thomæ Mori? *Bene ac laudabiliter facta pro merito compenſare mundus hic nec ingratus ſolet, nec gratus poteſt.* In hoc fundata eſt petitio illa Regis Dauid a: *Auerte oculos meos, ne videant vanitatem.* Hæc verba perpendit D. Aug. b Quæ eſt petitio tua, ô Rex ſapientiſſime (inquit D. Auguſt.) An non melius noſti, id, quod filius tuus Salomon poſtmodum intellexit, quod omnia quæ ſunt in mundo, vana ſunt. Hâc enim propoſitione orſus eſt conciones illas Eccleſiaſtes: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Et hoc voluit probare inductione quadam admirabili, ſumens argumentum ex eo quòd ipſe aut manibus tetigerat, aut oculis viderat, & conuertit ſe ad illud affirmandum. *Vidi* (inquit) *cuncta quæ fiunt ſub ſole, & ecce vniuerſa vanitas.* Si ores, ne videas id quod vanum eſt, & vanum eſt quidquid in mundo eſt, & ſub ſole reſidet, nihil tibi reliquum erit quod videas, proinde, aut tibi effodias oculos, aut de mundo excedas: ſicut in alia ſimili materia, quaſi notiſſimum inconueniens reſoluit D. Paulus: *Oportet de hoc mundo exire: Numquid* (quæerit D. Aug.) *quamdiù ſumus in hoc mundo, poſſumus non videre vanitatem? Omnis enim creatura vanitati ſubiecta eſt, & omnia vanitas.*

a Pſal. 118. 37.
b Con. 12. in pſ. 118.
Eccleſ. 1. 1.
Eccl. 1. 14.
I. Quid ſit vanitas. D. AVG. Tom. 8. Con. 12 in Pſ. 118.

Duos huic petitioni tradit ſenſus D. Auguſt. primus ſit, Prophetam hic loqui de oculis animæ: videlicet, intellectu, ac voluntate, poſtulat autem à Deo ſibi præſtet, illos nulli mundi huius creaturæ affici: quia quidquid in mundo eſt, vanitas eſt: ſed his tantùm quæ ſupra cælos ſunt, vbi bona ſunt permanentia, & firma. Hoc autem eſt (inquit) quod poſtmodum nobis conſuluit D. Paulus: *Quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens; quæ ſurſum ſunt, ſapite, non quæ ſuper terram.* Bona hæc eſt (ait D. Auguſt.) explicatio: verumtamen videtur mihi altera eſſe magis propoſito conueniens, ſi conſiderens id, quod in mundo pleno gurgite magis meretur nomen vanitatis, eſſe mundanam gloriam, hominum laudes ob præclara quælibet opera. Vanum eſt id quod habet quamdam apparentiam & non ſubſtentiam, vt nux, quæ parens bona, intus verò nihil habet. Quàm pulchram apparentiam habet mundana gloria? quàm videtur excellens æſtimatio & mundi applauſus vniuerſalis? quid dicis, quid ſentis, de generalibus gentium laudibus, quæ vident, laudant, æſtimant, promulgant, & magnificant? Quot oculos ſuos in hæc collimarunt? Quot poſt illa currunt anheli, arduas difficultates aggredientes, vt hæc conſequantur? Quot fortiſſimi militum Duces ſeſe ſtupendis facinoribus iniecerunt, ſolùm vt hanc gloriam adipiſcerentur? Quot ſapientes impenderunt labores ſuos, vigilias, ſtudia, legendo in Cathedris, ſcribendo libros, vt hanc nanciſcerentur? Quot homines, qui ſuſpenſum trahebant mundum, operibus veriſimiliter tantùm ſanctis ſtrictis ieiuniis, eleëmoſynis effuſis, orationibus frequentibus, hoc vnum in intentione habebant, hominum æſtimationem? Tales erant Scribæ & Phariſæi, de quibus Chriſtus: *Omnia ſua faciunt, vt videantur ab hominibus. Exterminant facies ſuas, vt appareant hominibus ieiunantes.* Verumtamen quid eſſe poteſt minoris ſubſiſtentiæ, ſeu ſubſtantiæ? An fumus, qui citiùs euaneſcit? An ventorum flatus, qui tam velociter nullo relicto veſtigio pertranſeunt? An auis datur tam celer, quæ nullo ſui ſigno per aërem relicto, æquè diſpareat? An bulla in aqua, quæ ſic tota dehiſcat? An floris cardui lanugo quæ ſic à vento diſpitur? Symbola ſunt omnia hæc Spiritus ſancti, quibus voluit exponere mundanæ huius gloriæ vanitatem, ac laudis, & æſtimationis hominum, in quæ oculos ſuos & ſpem ſuam collocant inſipidi.

Col. c. 3. 1.
Mat. 6.

*Spes impij tanquam lanugo, quæ à vento tollitur & tanquam ſpuma gracilis, quæ à procella diſpergitur, & tanquam fumus, qui à vento diffuſus eſt, & tanquam memoria hoſpitis vnius diei prætereuntis.* Quid dicam? ipſimet hæc proprio ſuo damno cognouerunt, qui, vitâ iam finitâ, ſeſe tam omni bono vacuos, quàm omni genere tormentorum plenos in inferno gementes deplorarunt. *Quid nobis profuit ſuperbia?* &c. *Tranſierunt omnia illa tanquam vmbra, & tanquam nuntius percurrens, & tanquam nauis, quæ pertranſit fluctuantem aquam, & tanquam auis, quæ tranſuolat in aere, cuius nullum inuenitur argumentum itineris, ſed tantùm ſonitus alarum verberans leuem aerem* &c.

Sap. 5. 15.
Sap. 5. 8.

*& non*

*& nos &c. & virtutis quidem nullum ſignum valuimus oſtendere.* Non dicit, quòd opera bona non fecerint, quinimò multi eorum illa fecerunt, ſed quòd illis, nec argumentum nec ſignum eorum vllum manſerit, quod oſtendere potuiſſent.

II. Præmium non ſolùm merces eſt operũ, ſed & ſignũ.

Eſt autem ipſa corona ſeu præmium, non ſolùm merces bonorum operum, ſed & ſignum ac indicium, quod ea facta oſtendat. Sicut accidit Sanctis in illa mercede, quam in cælis recipiunt; illis verò qui ea fecerunt ob ſolam æſtimationem & hominum laudes, ne leue quidem argumentum, ſicut nec præmium in alia vita remanebit *virtutis nullum ſignum.* Deſcende conſideratione tua (monet D. Bern.) in infernum, hoc eſt enim quod à te requirit Propheta Rex: *Deſcendant in infernum viuentes.* Illic intelliges planctus illos, quos & edunt & in æternum edent illi tam ſtulti, vt ſeipſos tali cognomine dignos cenſuerint: *Nos inſenſati*: quia pro ſuis tam præclaris operibus nihil aliud, quàm hominum acclamationes & nomen ſunt aucupati. Conſidera illos, quos Spiritus ſanctus vocat: *Potentes à ſeculo viri famoſi* Et Propheta Baruch: *Gigantes nomi■ti ſcientes bellum.* Attende gigantes illos mundo tam celebres vt refert Spiritus ſanctus illos Romanorum Duces toto terrarum ambitu notiſſimos: teſtante ſacro eloquio Adeò laudatos & omni honore exceptos, victorioſis illis triumphis & coronis, modò ex lauro, modò ex ſpicis, modò ex ferro, modò ex auro, nomina ſua toto orbe glorioſè ac ſuperbè diffundentes? Quid Pompeio de ſuis triumphis ſuperfuit? Quid Iulio Cæſari? Quid Lucio Lucullo de illo triumpho per tres annos publicè decantato, qui per Ciceronem ad finem illorum ei conceſſus eſt ob deuictum Regem Mithridatem & Tigranem? Quid Philoſophos illos memorem, nominatos, & vt admirabiles dictos, qui omnem ſuum finem & curam eò direxerunt, vt nomen ſuum & famam æternitati traderent, laborioſis ſuis ſtudiis, continuis vigiliis, contemplatione cælorum, & eorum motuum obſeruatione, ac aſtrorum, libros in omni materia, & de qualibet arte componentes? Quin mihi propono infauſtos illos Scribas & Phariſæos: quid illis mercedis retributum, pro ſuis ſtrictis ieiuniis, quibus exhauriebantur, pro ſuis orationibus, cùm incederent quaſi obcæcati ex continuo in cælum intuitu, pro ſuis eleemoſynis ad ſonitum campanæ diſtributis, ſolâ mundi complacentiâ ſibi complacentes?

Pſal. 54. 16.

Sap. 6. 4.

Baruc. 3. 26.

Cuncta hæc opera, & cætera virtutum, quòd ſi in Dei gloriam feciſſent (prout dicebant) ad lucrandum æternas glorias, æternaque regna, ſufficiebant. Ne mireris, ipſos omni re ſubſiſtente manere vacuos: poſuerunt enim oculos ſuos ſuper vanitatem: viderunt vana. Mi Domine Deus, rogat Dauid: *Auerte oculos meos, ne videant vanitatem.* Ne permiſeris tantam mihi accidere excerebrationem ſeu inſipientiam, vt ſint oculi mei tam abiecti, & animus adeò vilis, vt vanitati affigantur, illam prætendant; eſſet enim ſumma ſtultitia & inſipientia. An poſſit vlla maior inueniri, quàm ſi habeas gemmam pretij infiniti, quâ ditiſſimo Regi venditâ, in ſolutionem eius is tibi celebrem conſignaret ciuitatem; & tu eandem venderes pauperculo cuidam, qui eam laudaret & Rege dignam æſtimaret; & hanc eius laudem in pretium reciperes; quid (quæſo te) inde tibi lucri?

III. Adhortatur ad bonã intentionẽ. *Pſ. 118. 37.*

Ab hac ſtultitia & inſipientia ſecuros reddere nos voluit Chriſtus, (teſte D. Auguſt.) qui noſtrum deſiderans bonum, præmonet: *Attendite, ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis, alioquin mercedem non habebitis apud Patrem veſtrum qui in cælis eſt.* Adfer & offer Deo opera tua bona: cognoſcit ille pretium iuſtum & eorum valorem tibi perſoluet, ad minus Regnis æternis.

*§. 12. Prætende pro operibus tuis bonis non minorem mercedem, quàm Abraham, & D. Th.mas, vt te mulier illa cæleſtis informat.*

T*V autem cùm ieiunas.* Tractat nobiſcum Deus, vt vir quidam ſpectabilis, cum operatio ignorante alicuius pagi. Incidit caſu quodam manibus eius pretij magni adamas puriſſimus, & ab omni leui puluiſculo, & ſpuma defæcatiſſimus, credit eſſe quandam vilis vitri particulam, ſeu ad ſummum cryſtalli, quærit emptorem. O amice (ait vir ille præclarus) quàm parum noſti quanti illud valeat, quod reperiſti, ſcito hoc eſſe quid dignum Rege, & ſolis eiuſdem manibus bene impenſum: eſt enim Adamas magni pretij, cuius tibi valorem ſolus Rex, & is quidem potens, dare poteſt. Ne eum in hoc pago vendideris; hic enim non æſtimatur tanti, quanti valet; adito Curiam: illic enim ſcient eius valorem, & iuſtum tibi pretium ſoluent, dabuntque tibi in commutationem eius tantam pecuniæ ſummam, vt ex ea omne damnum reſarcias, & toto vitæ tempore diues viuas.

I. Quis dixerit tanti valoris eſſe opus bonum fa-
Quantũ ctum in gratia Dei? Tanti profectò eſt, vt in
ſit boni hoc mundo nemo, nec Angeli cælorum naturali
operis ſuo ingenio valeant comprehendere. *Neſcit ho-*
meritum. *mo pretium eius.* Minimum eorum, vnius diei ie-
*Iob 28.* iunium, lachryma vna, vnum ſuſpirium, calix
*13.* aquæ frigidæ, pluris valet, quàm cælum cum ſuis
ſtellis, quàm ſol cum ſua luce, quàm cum ſuis
plantis terra, & quàm fodinæ cum ſuis minera-
libus auri, argenti & margaritarum pretij infini-
*Sap. 7. 9.* ti: *Omne aurum in comparatione illius arena eſt*
*exigua, & tanquam lutum æſtimabitur argentum*
*in conſpectu illius.* Pretio valet infinito & excedit
omne creatum in æſtimatione; res eſt verè di-
gna Rege, & quæ ſola bene ad eius gloriam ex-
pendatur, & eius manibus conſignetur. In huius
mundi pago tam parui fit, vt pro maximè pre-
tioſo ſummum eius ſit pretium onus ſtraminis,
laus terrena, verba, quæ vento leuiùs rapiuntur.
Videt Chriſtus in manibus noſtris has bonorum
operum gemmas, & ait: Amici, ne hic eas ven-
dideritis, quia paruum vobis pro illis rependent
pretium. Quàm flocci merces foret illa vnius
adamantis maximi valoris, ſeu aqualis auro mi-
rificè elaborati, arte, ingenio & ſumptibus præ-
ſtantiſſimi, ſi pro illo tantummodò peteretur, vt
artifex tantum videretur & laudaretur. Quàm
inops foret, qui illum tantillo venderet? pro ſolo
pretio ſolam laudem recipiendo. Defer ad cu-
riam ſupremi Regis, aſcende cælos; offer illum
magno Monarchæ Patri veſtro, ille, qui eius no-
uit pretium, reddet tibi quantum iuſtò valet,
quod tantum eſt, vt ex eo diues ſis, & proſperè
totâ viuas æternitate.

II. Proh Abraham virum ſapientiſſimum! quàm
Oſtendit bene doctrinam hanc intellexit, & quàm profun-
hoc A- dè eam medullis ſuis inſculpſit, oſtenditque illo
braham. facto, quando cordis ſui nobilitatem patefecit (vt
*Lib 4. de* aduertit de illo D. Cyrill. Alexand.) In aciē pro-
*ador. in* deunt quatuor illi Reges potentiſſimi, Amraphel
*ſpiritu.* Rex Sennaar, Arioch Rex Ponti, Chodorlahomor
Rex Elamitarum, & Thadal Rex multorum po-
pulorũ, bellum indixerunt Regi Sodomæ regio-
nis tam fertilis, vt dicat Spiritus S. eam fuiſſe in-
*Gen. 13.* ſtar paradiſi: *Sicut paradiſus Dei euntibus in Segor.*
*10.* Deuaſtarunt hi regnum eius, populum captiuum
abduxerunt, cuncta eorum bona diripuerunt, in-
ſuper & Lot nepotem Abrahæ, reuertuntur vi-
ctores tantâ prædâ diuites. Res ad Abraham de-
fertur, qui illico ſpiritu Dei inſtigatus, domus
ſuæ populum congregat, ex quo ſibi conflat exer-
citum, erat enim tantus, vt ſoli vernaculi vltra
trecentos excreſcerent. His comitatus obuiam
procedit contra quatuor illos Reges, qui, præter
vires ſuas, tantò triumpho inſoleſcebant, illos
oppugnat, iniuit certamen tanto feruens animo,
adeò viriliter, vt illos deuincat, & in apertam fu-
gam profliget: recuperans omnem prædam, ho-
minum & bonorum, quæ rapuerant, magnoque
cum triumpho ad propria reuertitur. Obuiam
occurrit illi Bara Rex Sodomorum, totus elo-
quens in laudem talis fortitudinis, victoriæ &
triũphi, vtpote quòd eſſet victor ſuorũ hoſtium,
liberator ſuorum ſubditorum, & omnium recupe-
rator rapinarum. Viſum eſt Regi Sodomæ iniu-
ſtum fore nullam pro tam præclaro opere Abra-
hæ victori mercedem rependere. Rationi repug-
nat: ô vir fortiſſime (ait Rex) facinus tam præcla-
rum carere iuſtâ mercede, & æquâ ſatisfactione:
quocirca in tanti beneficij recognitionem cedo
tibi omnia bona meorum ſubditorũ. veſtra ſunt
enim iſta: *Da mihi animas, cætera tolle tibi.* Intui- Gen 14.
tus eum Abraham, ait: *Leuo ad cælum manum* [illegible]
*meam, ad Dominũ Deum excelſum, poſſeſſorem cæli*
*& terræ, quod à filo ſubtegminis, vſque ad corrigiã*
*caligæ, non accipiam ex omnibus, quæ tua ſunt*

Sublationem iſtam manuum ad cælum, cre- III.
dunt aliqui, eſſe iuramentum: quia modus tunc Manus
temporis communis iurandi erat hic, leuare ma- ſublatio
num ſeu digitum, quaſi ſignando Deum in te- quid ſig-
ſtem. Quinimo & quando aliquid affirmatur, ad nificet.
illud confirmandum, attollitur digitus verſus cæ-
lum. Inſuper & Deus ipſe tali phraſi vſus eſt (vt
notat noſter Cardinalis Caietan.) Volens enim In cap. 6.
declarare Moyſi, ſe iuraſſe Abrahæ, Iſaac & Ia- Exod.
cob, quòd poſteris eorum daret terram promiſ-
ſionis, leuauit manum ſuam, illam promittendo.
*Inducam in terram, ſuper quam leuaui manum* Exod. 6. 8.
*meam, vt darem eam Abraham, Iſaac & Iacob.*
Hoc quod hic dicit, quòd leuauerit manũ ſuam,
alio loco dicit, quòd iurauerit. *Ad terram quam* Gen 50.
*iurauit Abraham, Iſaac & Iacob.* Et iterum orat 24.
Moyſes: *Recordare Abraham, Iſaac & Iacob, qui-* Exod. 32.
*bus iuraſti per temetipſum.* Bona eſt hæc expoſi- 13.
tio; credo tamen, plus aliquid voluiſſe ſignifica-
re Abraham, quaſi illi diceret: O Princeps ma-
xime, licet Rex potens, & diues Dominus ſis,
pauper nimis es, vt tale opus, talem triumphum
dignè compenſes, aliam quæro mercedem, alium
compenſatorem expecto, qui mihi daturus eſt
præmium & dignam tanto lauream triumpho,
quem eius gratiâ & beneficio ſum conſecutus:
ipſe enim eſt magnus cæli terræque Dominus: D. Amb.
*Dominum poſſeſſorem cæli & terræ.* Quid inde ſe- a Lib. de
cutum? Loquatur D. Ambroſ. a *Quoniam ſibi* Abrah.
*mercedem ab homine non quæſiuit, à Deo accepit.* 3 [illegible]

Vide

IV. Abraham non ab hominibus, ſed à Deo boni operis mercedẽ expectat. b Gen. 15. 1.

Vidẽ autem, quàm citò illi appareat Deus, quaſi abblandiens. *b Ego protector tuus, & merces tua magna nimis.* O ſerue fidelis, ô prudens eorum operum æſtimator, quę adiutrice gratia mea operatus es, bene egiſti, eorum præmium à mundi huius hominibus non deſiderans, ne quidem ab ipſomet potenti Rege, totum enim vniuerſum hoc, parum eſt nimis, vt in compenſationem veniat tantæ victoriæ, cùm verò in mei gratiam hoc feceris, ego me ſolutorem obligo, & nullatenus volo vt merces ſit meipſo inferior, ego tibi præmium ſim, & totum meipſum tibi in mercedem, & dignam retributionem conſignabo. *Ego merces tua magna nimis.* Hæc eſt, ita hæc eſt iuſta bonorum operum æſtimatio; Hæc eſt, ita hæc eſt vera cordis celſitudo, quâ nihili ducimus, omne quod habet mundus, & nobis largiri poteſt in noſtrorum bonorum operum compenſationem, vtque nobis nihil minus ſufficiat, quàm cum omnibus ſuis Deus ipſe diuitiis.

26 Orabat Deum quotidie feruentiori ſpiritu Doctor noſter Angelicus, petiitque ſupplex ſibi à Deo dari cor nobile *Da mihi, Domine, cor nobile quod nulla deorſum trahat terrena affectio.* Nouerat ex doctrina D. Baſil. *a* eſſe quandam cordis altitudinem, ſed malam, & hæc eſt ſuperbia principium omnis peccati. Eſt & altera bona principium omnis boni; quando homo ſuam ipſius nobilitatem conſiderans, & animæ ſuæ dignitatem, cuncta creata deſpicit, & in æſtimatione ſua omnia pedibus ſuis ſubſternit, ipſi nihil infrà Deum ſatisfacit; ipſe ſolus eius merces. Talem habuit Angelus hic humanus, & eodem modo illi cõtingit. Cum enim Chriſtus ei vellet oſtendere, quàm ſibi placerent eius labores & ſtudia: ait illi: *Bene de me ſcripſiſti, Thoma, quam ergo mercedem pro tuo labore recipies?* Volo mercedem dare condignam tuis continuis ſtudiis, vigiliis grauioribus, & libris laborioſè conſcriptis: quid pro mercede repoſcis? Reſpondet ille: *Domine, non aliam præter te.* Non tam vili æſtimo, Domine, tuæ gratiæ dona, & opera quæ illâ obſtetricãte ad tui nominis honorem in lucem edidi, quòd crediderim eſſe creaturã aliquam tam præclaram, tam nobilẽ, quæ meo labori æquiualeat, non cõquieſco minori mercede, quàm teipſo, Domine.

V. Quæ ſit vera cordis celſitudo. a In c. 1. Iſa.

Hæc eſt cordis vera nobilitas, & planè eadem, quam oſtendit D. Auguſt. his verbis: *Auge deſiderium, & da quod peto: quoniam ſi cuncta, quæ feciſti, mihi dederis non ſufficit ſeruo tuo, niſi teipſum dederis. Da ergo teipſum mihi, Deus meus, redde te mihi.* Et hanc cordis celſitudinem à te requirit Spiritus S. per os Salomonis: *Reuela Domino opera tua, & dirigentur cogitationes tuæ.* Noſter Cardinalis Caietanus legit: *Verte ad Dominum opera tua,* conformiter textui Hebraico, qui habet *Volue ad Dominum opera tua.* Quibus in verbis videtur alludere ei, quod communiter dicitur de Aquila regali, id referente D. Auguſt. vt filios ſeu pullos ſuos legitimos agnoſcat & naturâ magnanimos, radiis eos ſolaribus exponit (hoc enim eſt proprium aquilæ nobiliſſimæ ſolem fixis oculis, & irreuerberata acie intueri) ſi quis eam deorſum declinauerit, ab vngue tanquam adulterinus dimittitur: quia acie palpitauit. An nobilitatem operum veſtrorum vultis dignoſcere, quæ perfecta, quæ legitima, quæ Deo accepta, quæ præmio digna? expone illa ſoli iuſtitiæ, vt Deum velut ſcopum intueantur, fige in eum tuæ intentionis aciem. Hæc eſt enim celſitudo animæ regalis & magnanimæ, & talis decet hominem Chriſtianum. Non debet ſacerdoti ſufficere, pro ſuis orationibus & miſſarum ſacrificiis temporale ſtipendium, quod ei datur in alimentum. Nec iudex contentus eſſe ſalario ſuo ſibi à Republica conſtituto, vel ab ipſo Rege; nec tu, qui ſeruus, eo quod tibi ab hero tuo conceditur: nec tu, qui operarius diurnus, eo, quo cum Domino conueniſti: certum eſt enim hanc mercedem tibi parum prodeſſe, quâ vix poſſis diteſcere. Quando te labori accingis, licet abiectiori, cogitatum tuum erige ad altiora & ſuperna, propone tibi Deum, nec ita procures laboribus tuis dominis terrenis ſatisfacere, ſicut Deo, & pro his in mercedem prætende bona cæleſtia, imo ipſum Deum. Non ego hoc tibi dixero, loquitur D. Paulus & ſæpius idem vobis inculcat. *Serui obedite per omnia Dominis carnalibus non ad oculum ſeruientes, quaſi hominibus placentes, ſed in ſimplicitate cordis, timentes Deum. Quodcumque facitis, ex animo operamini, ſicut Domino, & non hominibus ſcientes quod à Domino accipietis retributionem hereditatis: Domino Chriſto ſeruite.*

D. Aug. lib. ſoliloq. cap. 3. tom. 3. Prou. 16. 3. *Tract. 36. in Ioann.* VI. Qua ratione aquila pullos probet. *Ad Coloſſ. 3. 22.*

Hoc tibi quoque agendum in bonis operibus tuis, non ea in terra relinquas: hic enim mercatus paruus eſt, & inops, eritque paruula merces vt pauperum eſſe conſueuit. Aſcende forum cæleſte, vbi & cognoſcuntur & æſtimantur, & iuſto pretio ſoluũtur, eſt enim & terra ditiſſima. Verùm quâ viâ aſcendero? Mente, corde, voluntate deſiderio, intentione, vt ea propter Deũ moueris agere. Nota eſt & ſæpius repetita viſio illa D. Ioann. de pulcherrima illa muliere, quæ erat *amicta ſole & luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarum duodecim.* Hanc vidit in cælo doloribus partus cruciari, adſtat draco ante mulierẽ iam pa-

VII. Bonæ intentionis allegoria. *Apoc. 12. 3.*

rituram,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

rituram, vt filium eius recens natum deuoraret. Videre hic licet draconis deſiderium mulieris filium rapiendi. Quid illa? Eà quà peperit hora, magno impetu ſuſtulit filium, ad Deum miſit, throno eius obtulit. *Et peperit filium maſculum &c. Et raptus eſt filius eius ad Deum & ad thronum eius.* Quàm graphicè deſcribit animam ſanctam, amodo eſt in cælo, ſpe & deſiderio ibi viuit, quòd de iuſtis hic adhuc degentibus intelligit D. Paul. (ſic eum explanantibus D. Chryſo-
*Ad Epheſ. 2.6.* ſtom. & D. Thom.) his verbis: *Conſedere fecit in cæleſtibus.* Et in eorum nomine dicebat
*Ad Philipp. 3.20.* ipſe: *Noſtra conuerſatio in cælis eſt.* Prægnans eſt bonorum deſideriorum, ſed in ea non remanent: enititur enim ea per bona opera parturire, id eſt, opere exequi, & ob hoc dicitur, quòd in pariendo dolores ſentiat: quia non dubium eſt, quin dolores prouocent, & animam crucient opera bona, quando pariuntur & in lucem eduntur. Quando capitur diſciplina, à cibis abſtinetur, dormitur in terra, iniuria remittitur.

Sunt verò hi filij maſculi, fortes, & tanti ani-
*Hom 1. in Exod.* mi, vt cælorum regnum capiant, vt bene proſequitur Origen. declarans cur Pharao occidi iuſſerit omnes Hebræorum natos maſculos, puellas verò reſeruari. Quali deſiderio ardet draco hunc maſculum deuorandi, & vt eum hic relinquas, & iudices tibi hominum oculis ſatisfactum. Hoc modo illum rapit, dilacerat, deuorat. Sicut rapuit quotquot maſculos enitebantur animæ illorum Hypocritarum, qui eo momento quo naſcebantur, rapiebantur occidendi: cum qui illa opera faciebat non haberet ſperandum pro
*Matth. 6.* illis præmium aliquod: *Amen dico vobis receperunt mercedem ſuam,* ait Chriſtus. Non ita; ſed actu feruido, forti animo, corde inuicto rapito filium hunc maſculum ad Deum, eum throno illius offerto, draco eum non deuoret. Hoc eſt,
*1. Cor. 10.31.* vt agas id quod dixit idem Apoſtolus: *Omnia in gloriam Dei facite.* Domine Deus, ad tuum ob-
*Vide Tra. 2. n. 148.* ſequium ſit iſta pœnitentia. Domine Deus, ad tuam gloriam ſit illud opus pium &c.

### §. 13. *In abſcondito facito opera tua bona, ſicut Chriſtus ſua, vt integra conſeruentur.*

☞ 27 NOtanda ſunt autem verba, quibus vtitur diuinus Magiſter, *Ne videaris hominibus ieiunans,* quæ profunda continent myſteria. Non ait, vt non videant homines opera veſtra bona, ſed, vt ea non hac intentione facias, ſicut & in præcedenti verbo expendit D. Chryſoſt. quòd non dixerit, quando ieiunatis non ſitis triſtes: cum præterquam, quod ieiunium cum carnem affligat, ſecum etiam trahat quandam triſtitiam & capitis demiſſionem: nulla res magis congruit peccatori, & quæ ſit illi vtilior, quam triſtem incedere, & ſic conueniret vt omnes triſtes incederent, qui tales ſunt. Id quod Dominus dicit: hoc eſt, *Nolite fieri*: quod propriè & genuinè ſignificat: ne triſtitiam oſtentes fictam, compoſitam, & violentam, vt ieiunium ac pœnitentiam veſtram decantetis; ita in eo quod ſubiungit. *Ne videaris hominibus ieiunans,* non intendit, vt non videant homines opera veſtra bona, quia multa eorum non potes ab oculis hominum excuſare, ſicut audiendo miſſam, con- *Hom. 13. Imperf.* *Tract. 2. § 1.*
fitendo, communicando &c. ſed vt ea non facias eà intentione, vt ob ea videaris, & illi illa videndo oculos ſuos in te deflectant, te laudantes, & pro viro ſancto & optimo colentes. Sed vt ea videntes illi & tu oculos ſurſum in Deum erigatis, illum & pro illis, & per illa collaudantes.

Hinc declarauit & enodauit D. Auguſt. quan- *Serm. de verb. Dom.*
dam difficultatem, quæ ei adeò grauis videbatur, vt Diuinum quoddam lumen inuocaret, quo illam intelligeret. Videtur quòd vnâ eademque concione Chriſtus nobis contraria præcipiat. *I. Quomodo ſint oculis danda bona opera. Matt. 15.*
Sedens in monte, ſuoſque docens diſcipulos, eos ad præclara, ſanctaque opera exhortatur, quæ dicuntur lux, & ea oculis hominum exponant videnda. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona.* Progreditur vlterius, & ait in hoc Euangelio, vt agatis opera veſtra in abſcondito procul ab oculis hominum, ea tantummodo Patris veſtri cæleſtis oculis pateant: *Ne videaris hominibus ieiunans, ſed Patri tuo, qui videt in abſcondito.* Videntur hæc ſibi contraria, agite opera veſtra, vt ea videant homines, &, ſic agite opera veſtra in abſcondito, vt ea homines non videant. Verumtamen non ſibi contradicunt (ait D. Auguſt.) Magiſter enim noſter veritas eſt, & veritas ſibi ipſi non contradicit. Ambo ſunt facienda. Ad huius difficultatis enodationem, aduerte duo documenta.

Primum certum eſt, communiter bonum eſſe agere opera veſtra bona in abſcondito, ob periculū vanæ gloriæ, quæ in illis eſt, vt tinea cocco & nebula florenti campo, quia illico conſumit eius ſubſtantiam, ei nudum ſtramen relinquens. Opus bonum tantæ eſt excellentiæ, vt naturaliter excitet in eo, qui illud agit, appetitum & voluntatem illud manifeſtandi, & ideo vocatur lux, quia ipſi maximè proprium eſt, ſe oculis de-
tegere,

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

tegere, ac manifeſtare, & vt tale illud ſequitur,
ac manifeſtat honor, & poſt ſe trahit laudem &
*Epiſt. 64.* gloriam, & quando hæc ſe offert, ait D. Aug. res
*ad Aurel.* eſt difficillima eam repellere; & licet inueniamus
*vide Tra.* aliquos, qui laudes non quærunt, paucos tamen
*1.n.133.* reperias Baptiſtas, qui oblatas reiiciant, & di-
cunt, *Non ſum*, ſincerè, & ſine fuco, *Non ſum*. Cum
verò hoc ſanctis pernotum ſit, ad agendum opera
bona ſecedunt in deſerta antra, angulos noctium
ſecreta rimantur, diſſimulant & fingunt. Ita A-
braham ſe ſubtraxit, cum ſolo ſuo filio, quem
ibat ſacrificaturus, deſerendo vxorem, domum,
familiam, quinimo & duos famulos, quos eate-
nus ſecum duxerat; prætendens, vt ſolus eſſet
*Gen. 22.* Deus, quem haberet ſpectatorem.
*Li. 3. mor.* Ad rem ponderat D. Gregor. quod natura, quaſi
*c. 37.* prouida mater, vt conſeruet arbores, earumque
II. fructus, illas duro cortice contexerit, & grana,
*Natura* quæ facilè ab auibus decipiuntur, multis inuolu-
*mater eſt* cris, tunicellis, quaſi panniculis, ſeu linteolis ab-
*prouida.* ſconderit, inſuper & ariſtarum apponit velut pro-
pugnaculum, ex ſtimulis pungentibus: ſi enim ea
claré & nudè expoſuiſſet & oculis ſubieciſſet, il-
lico ab auibus deuorarentur & ſolis ardore ſicca-
rentur. Huic propoſito congruum exponit D.
*L. 1. Dial.* Gregor. id quod Dominus dixit per Prophetam
*c. 3.* I c: *Ficum meam decorticauit: albi facti ſunt ra-*
*Ioel 1. 7.* *mi eius.* Corticem abſtulit, qui fici ſubſtantiam
contegebat, apparuit eius albedo ante abſcondita
omnium oculis, hinc eius perditio: ſtatim enim
ventus eam deſiccauit, & conſumpſit, & areſcit.
☞ 28 Interrogauit quondam eundem S. Doctorem,
Petrus eius Diaconus, quem habebat vt filium, vt
ei exponeret quomodo hæc ſe haberent relata ab
Euangeliſtis: quòd Chriſtus patrando opera
quædam excellentiora cæteris, procurarit vt ea
nec foris, nec in publico diuulgarent, & quantò
magis ipſe oſtendebat ſe hoc velle, eò amplius
III. diuulgabant. Narrat D. Marc. quòd egreſſo de
*Quomodo ſua Chriſtus præcepe-rit opera reticeri.* finibus Tyri, ei obtulerint ſurdum & mutum, de-
precantes, vt eum curaret; curauit eum, præci-
piens eis, vt ſilentio tegerent opus illud quod vi-
derant: *Præcipit illis, ne cui dicerent, quantò au-*
*tem eis præcipiebat, tantò magis plus prædicabant.*
Idem refert D. Matth Acceſſerunt ad eum duo
*Marc. 7. 36.* cæci rogantes, vt lumen perditum mererentur
recipere: at ille ſolo oculorum attactu eis lumen
reſtituit, quibus vehementer præcepit, vt miracu-
lum illud celarent, nec vlli hominum manifeſta-
*Matth. 9. 30.* rent: *Comminatus eſt eis Ieſus, dicens: videte ne*
*quis ſciat.* Expendit Euthymius vim huius ver-
bi: *Comminatus eſt*, & ait, quod in textu Græco
poſitum eſt verbum, quod ſignificat, præcipere
ſyncerißimè; circumflectendo oculorùm ſuper-
cilia, caput agitando, comminando, ſi ſecretum
reuelauerint. Et hoc ipſum notat D Chryſoſt. *CHRYS. Hom. 33. in Matth. tom. 2.*
*Nulli eos dicere iuſſit, non ſimpliciter, ſed magna*
*cum vehementia iuſſit: acriter enim infremuit, di-*
*cens cauete, ne quis reſciat* His non obſtantibus,
cæci iam illuminati non ſolum, non ſeruauerunt
ſub ſilentio miraculum, ſed ſe publicos præcones,
& teſtes illius miraculi reddiderunt, & vt illud
proclamarent, linguas ſuas clangentes tubas effe-
cerunt. Petiit à S. Gregorio hic eius Diaconus. *D. GRE. L. 1. Dial. c. 9.*
Pater ſancte quid eſt hoc? vel id quod Chriſtus
præcepit, ſyncerè & ſine fuco præcepit, volendo
vt fieret, vel ioco ſolùm, & fictè verbis aliud in-
dicans, quam reuera volebat voluntate ſuâ: Illud
ſecundum, dici non poteſt de eo, qui ſumma eſt
& puriſſima veritas, cui non quadrat, vnum ha-
bere in ore, & contrarium in corde. Non eſt
Chriſtus de numero hominum huius mundi, qui
dicunt, nolo, nolo; ſed proiice illud in pileum
meum. Si in rei veritate & candidè voluerit hoc
quod eis præcepit; quomodo non fuit comple-
tum? cum ſit eius voluntas omnipotens, & poſ-
ſit, quod ſyncerè eius vult voluntas *Numquid*
*vnigenitus Dei hac in re velle habuit, quod non po-*
*tuit implere?* Attende, fili mi, ait D. Gregor. ſup-
ponere debes primò quod ea quæ egit Chriſtus,
ad inſtructionem noſtram pertinebant, & erant
omnes eius actiones, noſtris actionibus docu-
menta. *Redemptor noſter, omne quod per mortale*
*corpus egit, hoc nobis in exemplum actionis præ-*
*buit, vt eius veſtigia ſequentes &c.* Secundò ſup-
pone, quòd licet in Chriſto non plures ſint, quàm
vna perſona, quæ ſimul eſt Diuina & humana.
Et ſicut vnaquæque earum ſuam habet propriam
voluntatem, erant in Chriſto duæ voluntates rea-
liter diſtinctæ, vna Diuina, quâ erat æqualis Pa-
tri; humana altera, quâ ſimilis erat nobis. Et li-
cet voluntas Diuina eſſet omnipotens, vt de ea,
& propter eam dicat Dauid: *Omnia quæcunque* *Pſ. 134. 6.*
*Dominus voluit, fecit in cælo & in terra*, non erat
tamen ex ſe, talis humana. Non erat Chriſtus
exemplar noſtrum ſecundum quòd operabatur,
ſolummodo volendo res ipſas voluntate Diuinâ
quia in ea impoſſibile eſt homini eum imitari:
*Quid eſt homo, vt poſſit ſequi Regem factorem* *Eccl. 2. 12.*
*ſuum?* At bene quidem ſecundum quod proce-
debat operando voluntate humanâ, quâ nobis
erat ſimilis.

Ad hoc aliquoties voluit aliqua ſolâ volunta-
te humana, & ſicut hæc non eſt omnipotens, non
omnia faciebat, quæ præcisè hac voluntate in-
tendebat; vt oſtenderet, & nos erudiret, quid ſit,

quod homo debeat velle ſuâ voluntate, & quomodo procedere debeat in actibus talis voluntatis (de quibus ſuo loco dicemus, agendo de oratione in horto.) Alterum huius exemplar fuit (in quo hoc clare patuit) caſus de quo modo agimus. Realiter & ſyncerè volebat Chriſtus (teſte D. Gregor.) abſcondere hæc præclara opera, & non præclamari, nec ab aliis cognoſci. Verum hoc ſolùm voluit voluntate humanâ, totum hoc agendo, quod merus homo, & poteſt, & ſolet, vt in vulgus non ſpargatur, & id quod agit, hoc eſt, petere & commendare candidè, vt maneat ſecretum, & multis manuum geſtibus comminari, demonſtrans ſe grauiter offenſum iri per contrarium, vt per hoc homines inſtruat, quando faciunt aliqua bona opera, procurent pro ſuo modulo, & velint realiter & candidè, vt illa neſciant homines, ob graue periculum, cui exponuntur. Ita vt quando Deus voluntate Diuinâ vellet ea publicari, ob aliorum ſalutem, ſit quaſi contra eorum voluntatem. (*Prodantur inuiti*) dicebat D. Gregor. eo modo, vt ipſi de ſuo agant quod poſſunt, & quantum poſſunt, vt ſub ſilentio tegantur. Et ſi Deus per ſuam voluntatem voluerit abſolutè illa detegere & publicare, hoc erit, quod maximè conueniet.

D. AGATHON. *Epiſt. ad Auguſtos, habetur in 6. Synodo Gener.* *Marc. 7. 24.*

Ex hac doctrina declarauit poſtmodum D. Agathon Pontifex, D. Gregorij ſucceſſor, verba quædam difficiliora ex D. Marco, qui ait: Ingrediens Ieſus terram Tyri & Sidonis voluit latere, & non potuit. *Ingreſſus domum, neminem voluit ſcire, & non potuit latere.* Volebat Diuinam ſuam lucem abſcondere, & minimè potuit: Quomodo vero hæc dici poſſunt de eo, qui omnia merâ & liberâ ſua voluntate continet? Intellige ait, quòd loquitur de Chriſto, ſecundùm quod homo eſſet. *Latere voluit: quia tanquã homo, vt lateret, quantum ſatis erat, fecit. Ingreſſus eſt enim domum, occultauit ſe, diſcipulis impoſuit ſilentium.* Ad hoc tanquam Magiſter noſter vult, vt opera ſua planè Diuina ſilentio contegantur, licet in illis nullum ſubeſſet periculum, etſi ſole clarius omnibus forent cognita: Ad inſtructionem noſtram, vt ſi ſeruare velis opera tua bona (quibus tantum ſubeſt periculum,) ſi publicè ſint facta, contende, quantum eſt in te omnibus modis, & ſyncerè, ſecretè ea peragere, vt non videantur, aut ſciantur, committens Deo eorumdem manifeſtationem, qui in hoc ſapienter prouidebit, quod magis viderit expedire, ad ſui nominis gloriam, & aliquando reddet illa cognita & manifeſta, magis ſyncerè & in rei veritate, quàm tu ea coneris abſcondere, vt neſciantur.

IV. Quomodo Chriſtus idem & noluerit & voluerit.

§. 14. *Superabis artes, quibus Pharao infernalis conatur perdere opera tua bona, ſi ea ab oculis hominum abſcondas, ſicut Amram & Iochabed filium Moyſen ab oculis Ægyptiorum.*

HVic propoſito valdè quadrat conſideratio Origen. circa hiſtoriam, quam Spiritus S. nobis refert de filiis Iſrael in Ægypto. Extremam moleſtiam & anxiam ſollicitudinem inferebat ſuperbo illi & tyranno Regi Pharaoni, videre Hebræos tam fœcundos in natis filiis, iiſque omnibus tam ſanis & formâ venuſtis: timens, ne ſuccreſcentes in ſe & regnum ſuum inſurgerent, & omnes interficerent; vt ſe huic periculo opponeret, cogit ſapientes ſuos & concilium, quibus ait: Amici, parum ſolliciti viuimus, cum vita & libertas noſtra magno ſubiaceat periculo: ecce enim aduenæ hi Iſraelitæ in tantum excreſcunt numerum vt videtis, & quis ambigat, quin poſſent in nos & regnum noſtrum inſurgere, quocircà neceſſariò præcauendum huic damno, idq; valde ſubtiliter atque eo modo, vt priuſquam conſpirent in vnum & ſumant arma, eos omnes deleamus: *Ecce populus filiorum Iſrael, multus & fortior nobis eſt, venite ſapienter opprimamus eum.* Ad hoc primò, modum nititur reperire, quo nec viri filios generent, nec mulieres concipiant: Hic autem fuit vt illos tam grauibus opprimeret laboribus, qui laſſatos conſumerent. In quem finem dicebat, quod ſtatuiſſet binas ciuitates & eas valdè celebres ædificare, in quibus poſſet aulam ſuam Regalem conſtituere, & illi futuri ſint, quibus incumbat prouidere & omnia materialia aduehere, lateres, ceſpites, calcem, & quidquid neceſſarium fuerit huic operi: & hoc innuit ſacer textus his verbis: *Omni ſamulatu.* Atque ad hunc finem omnes conſcribit, conſtituit operum præfectos, cuique aſſignat certum penſum tot laterum, quod eorum vires longè excederet, & ſi illud non explerent crudeliſſimè virgis illos ex vepribus, ſpinis ſentibuſque flagellabant.

Et ait Philo latè deſcribens hanc hiſtoriam, quòd illos, qui ſe infirmitatis cauſâ excuſabant, occiderent: Erant hi labores tam intollerabiles, vt eos adeò defatigarent, vt felices ſe æſtimarent noctibus præ graui ſomno in terram decidere, quo medio videbatur, quod omnino obliuiſcerentur & ceſſarent inordinati motus carnis, & ad filios procreandos fierent imbecilles. Inſuper,

narrat.

(narrat Spiritus S.) agebant vitam triſtem, amaram, illos irridentibus Ægyptiis: *Ad amaritudinem ducebant vitam eorum, operibus duris luti & lateris, omnique famulatu, quo in terra operibus premebantur.* Veruntamen non ex animo ſucceſſit hoc conſilium Pharaoni: *Non eſt conſiliũ contra Dominum*; qui præclaro miraculo rem ita diſpoſuit, quod exponit D. Auguſt. quòd ipſo eodem medio magis & magis filij Iſrael multiplicabantur, ita vt, quò amplius creſcerent eorum labores, eo & illis magis augerentur filij. *Quantò opprimebant eos* (ait Spiritus S.) *tantò magis multiplicabãtur & creſcebant.* Cum verò hoc ſuperbus ille aduerteret tyrannus, crudelitatem exorditur ſuo cordi propriam, hanc nempe, vocat obſtetrices, quibus præcipit, vt quãdo parerent Iſraelitarum mulieres, eorum filios ſuffocarent. Nihil tam facilè (teſte Ariſt.) quam obſtetrici ſuffocare puerulum recens natum, impediendo illi reſpirationem: vel permittendo vt proprio matris ſanguine ſuffocetur, & hoc ita fit, vt in eo obſtetrix non habeat, quòd multum ſit ſollicita. Sed nec illud Pharaoni feliciter ſucceſſit conſilium: adeo enim Deus diuino ſuo timore permouit obſtetrices, vt Regi pro excuſatione referrent, feminas Iſraelitarum a deo hac in re eſſe exercitatas, vt eas ob partus neceſſitatem non vocarent, & quando ipſæ accederent, filios iam inuenirent natos, & extra omne periculum incolumes.

Exod. 1. 14.

Lib. 18. de ciu. c. 6. ſer. 89. de temp.

Exod. 1. 12.

Lib. 7. de hiſt. anim. c. 10.

Quid tum Rex ille impiiſſimus & immiſericors? pro vltima reſolutione mandat omnibus Ægyptiis, vt quos viderint ipſi Iſraelitarum puerulos, raperẽt, Niloque flumine demergerent, qui eſt curſu rapidiſſimus: *Præcepit ergo Pharao omni populo ſuo, dicens; quidquid maſculini ſexus natum fuerit in flumen proiicite.* Ad quæ verba ſic Rupertus Abbas ait: (*Tria ſcelera commiſit Pharao, primum: quòd hoc intendit opprimendo filios Iſrael, quatenus voluptate generandi mortuã filij non procrearentur. Secundum: quòd obſtetricum dolo agere nititur, vt nati paruuli clam interimerentur. Tertium: cum apertã ſæuiens perſecutione præcepit omni populo ſuo, vt maſculos in flumen proiicerent.*) Quærit Origenes, quid remedij in hoc caſu ſupereſſet Iſraelitis? Reſpondet, nullum aliud, quam filios ſuos ſubtrahere oculis Ægyptiorum, cum euidens eſſet, quòd videri illos, & perire vnum quid eſſet, & hoc remedio ſibi præſidio fuerunt parentes Moyſi & Aaron ſcilicet Amram & Iochabed, vt filios ſuos incolumes conſeruarent, & illum tantò magis elaborarunt abſcondere, quantò viderunt eum elegantiorem & ita eum tribus menſibus occultarunt: quando verò viderunt non poſſe vlterius puerum celari, reclusit eum mater in fiſcella ex iuncis pice circumquaque illitã, & eum defluxui fluminis commiſit, eo modo vt puerulus non videretur. O Deus optime: & quæ hæc cura tanta abſcondendi pulcherrimum filiolum, vt non appareat nec eum videant Ægyptij: ne mireris: ſciunt enim tantum puerulo ſupereſſe vitæ, quantum quæ illum pepererat, eum illis abſcondiſſet, ne eum viderent. Hæc eſt illa hiſtoria, (ait D. Gregor. Nazianz.) quæ licet in ſe ſit admirabilis, tamen nobis ea eſt ſpecialiter conſideranda, ſpirituali ſenſu ad noſtram inſtructionem.

II. Pharaonis in Iſrael. tertia ſcelera.

S. Rupert. l. 6. in cap. 1. Exod. tom. 1.

Lib. de vita Moyſ.

Caſus autem hic eſt, nihil vehementius torquet Pharaonem infernalem, quod quod videat Iſraelitas, id eſt, animas fideles, concipere & parere filios maſculos id eſt opera pia & inſignia in obſequium Dei, liberales eleemoſynas, orationes feruentes, ſtricta ieiunia, pungentia cilicia, confeſſionem lachrymoſam, Communionem deuotam: hæc enim filij ſunt, qui ei bellum inferunt, & regnum eius euertunt. Filiabus ſe non opponit, quæ ſunt opera repentia carnis veſtræ: quinimo ea potius exoptat, cœnam opiparam, confabulationes de vita proximi, ſpectacula comœdiarum, ambulationes ſub aëre, viſitationes ob ſolam conuerſationem: itaque adnititur primariò ne filios maſculos concipiatis. Paulò ante diximus animam illis impræguari, quando concipis ieiunandi propoſitum, confitendi peccata tua, communicandi, dandi eleemoſynam, & hoc eſt quod dixit Iſaias de bonis animabus. *A facie tua Domine, concepimus* Conſiſtentes, Domine in conſpectu tuo impræguatæ ſumus & concepimus. Quoties poſitus ante Chriſtum crucifixũ, & eum pro te mortuum conſiderans, ais: O Domine, quid ego pro te faciam, qui tanta pro me feciſti? dediſti ſanguinem tuum pro me, dabo ego bona mea pro te: creaſti me regno tuo in regem, volo igitur ad illud accedere per contemptum bonorum tam vilium, qualia ſunt huius mundi. O Domine: quàm plus æquo eſt nudis tabulis me vti pro ſtrato in pœnam meorum peccatorum, cum tu pro eis in cruce clauis, confixus pependeris. Corpus hoc diſciplinis affligere me decet cum carnem tuam flagellis laceram intuear.

III. Diabolus v. Pharao bona perſequitur opera.

Iſai. 26. 18.

Conatur autem diabolus, iſtorum filiorum impedire conceptus, detinendo te rebus nouis, auferendo tibi orationis quietem, in qua filij concipiuntur. Quid agit, vt te ab oratione retrahat? te detinet occupatũ luteo & paleis ſuperbus ille Pharao; & conceptus ingerit ædificandi in



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

terra, ea quæ ſunt bonorum, honoris, ac deliciarum. Hoc ipſe intendit, quando non valet te in hoc perturbare; ſi quando videat te bonum aliquod concepiſſe propoſitum, faciendi aliquod opus pium, accurrit totis viribus adnitens, vt quo momento, illud paris, & in lucem edis, præfocetur, occludendo reſpirationem & ſpiritum. Hoc eſto, prægnans, bonam tibi molitur auferre intentionem, vel eam detorquere, vt enim iam diximus, ſpiritus boni operis, quem Deus quærit, eſt intentio, voluntas, & actus cordis veſtri; Contendit ipſe extinguere feruorem & viuacitatem intentionis, vt cum boni operis corpus illud in lucem prodierit, ſit ſine ſpiritu, ſine deſiderio placendi Deo, nec gratum diuinis eius oculis. O Deus me cuſtodiat; & in quot hominibus producit hunc effectum? qui opera bona pariunt, ſed ſunt velut mortua ſine ſpiritu feruoris, quo Deo illa offerant, ſupplicantes, vt ea in ſui honorem acceptet, & in remiſſionem admittat peccatorum, & animæ ſuæ beneficium; opera faciunt & pariunt, ſine feruore, ſine ſpiritu, & ſunt vt ſine anima corpus, opus exanime. Quando nec in ipſo aliquid efficere præualet Satanas, ſed videt animam tuam in partu robuſtiorem progredientem bonis deſideriis, ea in lucem perfectè producendo: dando huic eleemoſynam, alteri ſanum conſilium: cum humilitate proſtratum te ad pedes Confeſſarij, & poſtmodum ſummâ deuotione ad altare, recipiendo ſacram Synaxim: illud modò prætendit, vt illa exponas & perdas in oculis Ægypti, id eſt mundi, illa faciens vt ab vno bonus videaris, & te extollat alius, & te magnifaciat alter, & te videat vt miſericordem, pium, Deo deuotum. Caue tibi ab hoc, quòd ſi hoc egeris (ait Origines) puta tibique perſuade quòd filios iſtos expoſueris, vt eos in præterfluentem deiiciant; quòd eos laus & hominum æſtimatio ſuſtollat, & ſic pereant.

Ori-gen.

*Denique refert ſcriptura, quòd de tribu Leui, quædam genuit maſculum, & videns infantem eſſe elegantem, occultauit eum menſibus tribus. Vide ſi non propterea nobis præcipitur, ne bonos actus in publico geramus, ne iuſtitiam noſtram coram hominibus faciamus, ſed vt clauſo oſtio oremus Patrem in occulto & quod facit dextera noſtra, neſciat ſiniſtra. Niſi enim in occulto fuerit abripietur ab Ægyptiis, inuadetur, in flumen iactabitur, vndis & fluctibus ſubmergetur. Ergo ſi facio eleemoſynam, quia opus Dei eſt, maſculum genero, ſed ſi ita faciam, vt hominibus innoteſcat, & ab hominibus lauder, quaſi non eam occultauero, rapta eſt ab Ægyptiis & eleemoſyna mea, & in flumen demerſa eſt, & tanto labore & tanto ſtudio Ægyptiis maſculum genui. Propterea ô vos populus Dei, qui hæc auditis, nolite putare, veterum vobis fabulas recitari, ſed doceri vos per hæc vt agnoſcatis ordinem vitæ, inſtituta morum, fidei virtutiſque certamina.* Et non leuiter prætereas in hac hiſtoria, duo quæ ſingulari curâ nobis repræſentat Spiritus S. Primum, quòd tantò plus Iochabed mater Moyſi ſollicita eſſet & anxia, vt filiolum ſuum oculis hominum occultaret, quantò vidit eum eſſe elegantiorem. *Videns eum elegantem abſcondit tribus menſibus.* Iam præterlapſi erant decem anni, quibus Pharao edictum tam immane promulgarat, vt omnes filiorum Iſrael puerulos vndis Nili demergerent. *a* In illis peperit Aaronem, & vt eum indemnem conſeruaret, certo credendum eſt, quod eum in partu abſconderit; verum maiorem habuit curam Moyſi: quia eum conſpexit formoſiorem. Et credunt *b* D. Auguſt. *c* & Rupert. *d* & affirmat Ioſephus *e* & D. Stephanus indicauit, patrem eius habuiſſe reuelationem, filium illum fore populi ſui liberatorem. Secundum: filium illum, cui mater, quæ eum peperit abſcondendo plùs inſudabat: eum fuiſſe, quem Deus lucidiùs expoſuit oculis Pharaonis, populi ſui & totius Regni. Rem etenim ita diſpoſuit, vt Princeps filia Pharaonis Moyſen inueniret, reuelaret, & ad patrem deferret, in cuius palatio educaretur: ipſomet Rege ſuperponente capiti eius diadema ſuum, quod puerulus detrahens in terram deiecit, pedibus ſubſtrauit, & contriuit, ita Ioſephus.

Quàm ſunt hæc diuina myſteria, ait Origen. quæ te docent, quid tibi ſit agendum, pariter & credendum. Primum. Quòd ſi magna cura tibi ſit inuigilandum, vt opera tua pia & maſcula hominum oculis abſcondas, Illud tibi tantò maiori ſtudio conandum, quantò hæc fuerint præclariora: hæc enim euidentiori periculo ſubiacent ſubmerſionis viſa ab hominibus, te eorum laudibus adhærente. & de iis exultante. Quantò liberalior fuerit eleemoſyna, & quantò ſtrictior pœnitentia, & durius cilicium, & diſciplina ſanguine profuſior, tantò maiori ſtudio tibi contendum, vt ea hominum conſpectui ſubtrahas. Hoc enim eſt, ſicut diximus, quod Chriſtus egit in ſtupendis illis operibus, illuminatione cœcorum, & præcipuè orationibus ſuis, quibus elegit loca ſemota & noctis ſecreta. Sed particulariter, quando gloriæ ſuæ facere voluit oſtenſionem, in illa tam myſterioſâ ſui corporis transfiguratione, quã ſummopere diſcipulis ſuis prohibuit ne publicarent. Verùm enim vero ſecundũ accipe,

accipe, quod quantò diligentius hoc egeris tantò Deus amplius in ſe ſuſcipiet illa detegere, & oculis precipuorum huius mundi exponere, ſumma cum veſtra gloria, efficiendo, vt ipſimet potentiſſimi coronam capiti veſtro imponant, & ſummis te præconiis extollant: hoc eſt enim quod (teſte Origen.) prædixit Dauid: *Et educet quaſi lumen iuſtitiam tuam, & iudicium tuum tanquam meridiem.* Penſandum eſt verbum illud. *Educet*; videtur enim creationi lucis alludere, quam, dixit D. Paul. Deum de tenebris produxiſſe. *Deus qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere.* Eodem planè modo educet in conſpectu totius mundi lucem tuorum bonorum operum, quæ in ipſis profundiſſimæ noctis tenebris patraſti, & ea quæ operatus es inter obſcuriſſimas vmbras, in lucem meridianam producet ſpectanda, te neſciente quomodo, aut quâ ratione: de quibus alias egimus perlatè explicantes diuerſa loca S. Scripturæ, & hiſtorias ſanctorum notatu digniſſimas. Hoc autem nota, fortiſſimum & magnanimum hunc Moyſen non admiſiſſe laudes has, nec gloriam ſibi à Pharaone oblatam, ſuperponente eo capiti eius regium diadema, è contra verò pedibus ſuis ſubſtrauiſſe: hoc enim tibi agendum de præclariſſimis tui laudibus, quibus te mundus excipiet, ſubſterne illas pedibus tuis, protere, conculca: quære autem & opta, vt honor ille Deo cuius eſt omne bonum, deferatur.

Pſ. 36. 6.

2. ad Cor. 4. 6.

Tract. nu. 142 vſque 351.

§. 15. *Bona opera à præſtigiatoribus liberabuntur, ſi oculos veſtros in Deum fixeritis, componentes ſtructuram, quam Deus ſtatuit candelabri luminum, & Altaris aromatum.*

☞ 30 EXplico vobis ſecundum documentum. Non prohibet vobis Chriſtus opera veſtra bona agere in oculis hominum, ſed agere illa, pro ipſis prætendendo, vt ipſi vos videant, & attendant vt tu ſis eorum ſcopus, vt te laudent, & bonum habeant, hoc enim dicit: *Ne videaris.* Videant opera veſtra, ſed tu ne propter illa videaris, ſed Deus ipſe ob ea extollatur, & glorificetur, & quia ea vident, ſint bene ædificati, & feruenter excitati, vt ſimilia ad Dei gloriam exequantur. Hoc eſt, *videant opera veſtra bona & glorificent.* non vos ſed Deum, *Patrem veſtrum* &c. Et vt vno verbo dixerimus, non dicit vobis, vt non exponatis opera veſtra bona hominum oculis, ſed vt illa exponendo, ſimul oculos veſtros in Deum dirigatis, non expetendo veſtram laudem, & æſtimationem bonam, ſed Dei gloriam, alioſque permouere, vt Deum glorificent, & veſtrum ſequantur bonum exemplum.

Præcepit Deus, vt ſummo ſacerdoti fierent veſtes pretioſiſſimæ opere plumario ſummo labore, lapidibus maximi pretij intertextis, qui hinc inde lumen, fulgorem que diſpergerent, quibus ſic indutus prodiret in publicum, oſtentans, & totius populi oculis veſtes has præclariſſimas obiiciens, voluitque Deus, vt omnes oculos ſuos in eas dirigerent, earumque pulchritudine oblectarentur. Idcirco vocauit Spiritus S. hunc veſtium ornatum, *Deſideria oculorum.* De quo particulariter ſcribit D. Hieron. *Eccl. 45. 14.* *Epiſt. 128. ad Fabiol.*

Verumtamen voluit Deus, vt ſacerdos præter hunc ornatum, geſtaret in fronte laminam auream ante oculos, in qua ſculptum erat ineffabile Dei nomen: quaſi quis dicat. Exponat Pontifex magnificas veſtes ſuas oculis totius populi, & cuncti ſuos in illas deflectant, Pontifex vero ſuos in ſolùm Dei nomen. Hoc agere conuenit viro ſancto, viro in vera pietate bene inſtructo & fundato, Apoſtolicæ vitæ imitatori. Apoſtolis enim ait Chriſtus, vt veſtibus induantur pretioſis, fulgentibus, veſtibus lucis, & eas omnium oculis exponant; *Sic luceat lux veſtra* &c. Illi vero ſuos in ſolum Dei nomen dirigant. Plus æquo eſt Epiſcopum dare eleëmoſynam in conſpectu totius populi, & omnes Magnates & nobiles accedere ad confeſſionem, ad ſacram Synaxim, viſitare noſocomia Et vos videant, ô Domini, famuli veſtri Eccleſias frequentantes, obeuntes veſtras ſtationes. Vos quoque videant ô Dominæ, filiæ veſtræ, pediſſequæ & ancillæ intrantes oratorium, multum temporis contemplationi rerum Diuinarum impendentes; oculos ſuos in vos colliment; vos vero non in ipſos, ſed in ſolum Deum, his optantes ſolam eius famulatum; ſicque nullum damnum ſed magnum vobis lucrum proueniet. Tàm eſt difficilis quàm admirabilis philoſophiæ doctrina, ſententia quædam prolata à Spiritu S. per os Salomonis: *Faſcinatio nugacitatis obſcurat bona.* Quæ meo iudicio, ſic ſonat. Faſcinatio vana obſcurat, & bonorum conſumit pulchritudinem, obnubilat, & obumbrat.

I. Superiori incumbit aliis prælucere.

Sap. 4. 12.

II. Quid ſit oculorum faſcinatio.

Conueniunt omnes Philoſophi, inſuper & viri ſanctitate præclari, (vt alias notauimus) reipſa inueniri oculos quoſdam, qui ſolô viſu faſcinant, non præſtigiis, ſeu magicis artibus, ſed vi quâdam naturali. Quoſdam eſt inuenire *Tract. 2. nu. 31.*

*Hom. 11. de inuidia.* (teſte Baſil.) tam peruerſi qualitatibus infectos, vt etiam oculis ſuis eas eiiciant, & per illos exeant, velut per quoſdam canales, ſolo viſu faſcinent, & corrumpant ea, quæ ſunt tenera ac delicata. Videbis puerulum venuſtate gratiſſimum, ſolem dixeris tibi admirationi, alacrem, feſtiuum, ludibundum, ipſe totus tibi arridet; pauco interlapso tempore, contuêris eum languentem, decolorem, triſtem, capite inclinatum, emorientem, qui ſolis oſſibus hæreat; vt neſcias quomodo, vel vnde hoc illi aduenerit: quereris: faſcinauerunt puerulum, præſtigium quoddam malũ obſcurauit eius pulchritudinem vigoremque conſumpſit. Quomodo credis fieri hoc præſtigium? Dicunt naturaliſtæ fieri concurſu & occurſu oculorum amborum; quando ambo ſe mutuo aſpiciunt, faſcinator puerulum, & puerulus faſcinatorem. Quod ſi ſolus faſcinator aſpiciat infantulum, non verò ipſum infantulus, è contra autem defigat oculos in patrem, vel nutricem, nihil ei nocere poſſunt faſcinatoris oculi. Præcellens philoſophia, & magnum hoc eſt ſecretũ in operibus naturalibus, & maius quoddam in virtutum operibus. Hominum oculos benè dixeris ſimiles eſſe oculis faſcinatoris, qui viſu rapiunt bona opera, ea deperdunt, & ita denudant, vt ſolis oſſibus hæreant, ſic vt ex illis nihil reliqui maneat, quam quædam exterior figura & ornatus.

III. Oculus hominis faſcinat opera bona.

Hoc verò fit quando eſt occurſus oculorum; & hi qui ea opera faciunt, homines intuentur, deſiderantes vt ipſi eos etiam intueantur, & homines reipsâ eos intuentur. Sic contigit infauſtis Phariſæis hypocritis; exercebant magna & multa virtutum opera, ieiunia, eleëmoſynas, orationes, ſed faſcinabantur, & obfuſcabantur, & perdebantur; ſolâ ipſis remanente exteriori figurâ & decòre. Fiebat enim oculorum & viſus occurſus, quo ipſi homines intuebantur eâ intentione, vt ab ipſis viciſſim viderentur, & laudibus extollerentur, & eâdem intentione alij eos intuebantur, laudibuſque extollebant. *Omnia ſua faciunt, vt videantur ab hominibus.* *Mat. 23. 5.*

IV. Illum declinans Dei oculos intuere.

Quando volebant dare eleëmoſynam tubâ canebant, vt alij oculos ſuos in eos deflecterent, & nihil ipſi aliud quærebant, quam alios intueri. Vt orarent, vicos & angulos captabant platearum, in conſpectu omnium qui illac tranſibant. Infelices! talia enim opera præſtigiis inficiebantur, & faſcinatio vana, quà omnia in vanã laudem euaneſcebant, hæc enim conſumebat & exedebat eorum valorem, ipſi quoque cum operibus ſuis incapaces permanebant omnis iuris ad aliud quodcumque præmium, quàm id, quod ex vana laude recipiebant. *Tu autem*, ait Chriſtus, *cum ieiunas*, quod tibi præſtandum eſt, hoc ſit, fuge occurſum oculorum, te videant homines, tu ne conſpexeris illos, vt ab illis videaris. Defigant ipſi oculos ſuos in opera tua, tu autem tuos ſurſum dirige in Patrem cæleſtem, *Ne videaris hominibus ieiunans ſed Patri tuo.* Si largiris eleëmoſynam, ad Deum oculos tuos conuerte, eumque in paupere conſidera, ſit illa tua intentio, eam ipſi Deo & ob eius amorem elargiri. Si ieiunes, ſit ita, dirigendo cogitatum tuum in eum, intendens carnem tuam mortificare; vt illi meliori modô deſeruias. Si confitearis peccata tua, ſi reuerendo Chriſti corpore paſcaris, ſi Sacro interſis, ſi ſtationes obambules: hæc ita fiant vt primùm oculos tuos ſurſum dirigas ad Patrem tuum cæleſtem, optans ei ſeruire, & deſiderans, vt in hoc opere glorificetur. Hoc eſt ſecundùm litteram, quod Dominus nobis voluit dicere verbis illis, quæ paulo ante ponderanda habebamus: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cælis eſt.* *Ioã. 35.* *Exod.* Opinatus eſt Venerabilis Beda, Chriſtum voluiſſe tangere, id quod Deus antiquitus diſpoſuerat circa fabricam candelabri luminum & altaris aromatum; quæ Moyſi præcepit fieri in myſterioſo illo Tabernaculo. Fac tibi, iubet Deus, tabernaculum de pulcherrimis cortinis, quas tabulæ ex lignis ſetin id eſt incorruptibilibus connectant. Habeat hoc tabernaculum in prima & principali parte quadrangulum ſpecioſum optimè compoſitum, quod ſit quaſi locus meæ habitationis, quocirca in ipſo ſtatues Arcam, ſcabellum pedibus meis cum propitiatorio, quod duo ſuſtineant Cherubim, quaſi ſedem quietis meæ, in qua aſſiſtam ego vt Deus, Rex & Dominus veſter. Partem hanc cooperies velo pretioſo ex Hyacintho, purpura, byſſo &c. & vocabitur *Sancta Sanctorum.* *Exod. 26. 34.* Quò nemini licitum erit ingredi, niſi ſoli Pontifici ſemel in anno, vt pro totius populi peccatis precator intercedat. Immediatè ante hæc extrues ſecundam partem, quæ vocetur *Sancta*: quam ſoli ſacerdotes intrare poterunt, hic duo pones Primum candelabrum totum ex auro ductile, habens ſeptem calamos modô profus ſingulari elaboratos: *Facies & lucernas ſeptem & pones eas ſuper candelabrum*, quæ ſemper lucebunt ante *Sancta Sanctorum.* Quaſi coram me & præcipies filiis Iſrael, vt in nutrimentum ignis adferant tibi oleum puriſſimum, non de lino, vel nucibus, vel cetis, ſed de arboribus oliuarum: *Afferant oleum de arboribus oliuarum puriſſimum,* *Exod. 27. 20.*

*vt ardeat lucerna.* Ardebunt verò ſemper hæ lampades, claram continuò lucem emittentes à mane vſque ad veſperam, & à veſpera vſque in manè. Iuxta candelabrum hoc, quod lucebit ante Arcam, & conſequenter coram me collocabis altare incenſi & aromatum, in quo mihi offeres aromata Thymiamatis compoſita ex diuerſis ſuave olentibus aromatum ſpeciebus.

V. Aromatũ altare deſcribitur & candelabrum.

Altare hoc primò debet fieri ex ligno incorruptibili, *De lignis Setin*; Secundò habere cubitum longitudinis, & alterum latitudinis, ſic vt ſit quadrangulum. Tertiò pones in angulis pyramides ex auro, rectas, vt flammæ ignis, & videantur quaſi volitare & ſurſum ferri: hoc ſignificat: *Ex ipſo procedent cornua* Vt probat Lipoma. Vltimò circumdabis ei coronam ex auro, inſtar aureolæ, qua victores coronantur: *Facies & coronam aureolam per circuitum.* Hic, ait Deus, offerantur mihi aromata bene olentia, & quæ nemini alteri poſſunt incendi, ſub pœna capitis. *Homo quicumque fecerit ſimile, vt odore illius perfruatur, peribit de populis ſuis.* Hoc erat ex officiis præcipuis ſacerdotum, ingredi locum illum dictum *Sancta*: & ſemper manè odoriferum incenſum offerre Deo, itidem & veſperi. Et hoc ipſum fuit, quod intendebat Zacharias Pater Ioannis Baptiſtæ quando intranti hunc locum, vt fungeretur hoc officio: *Apparuit ei Gabriel Angelus, ſtans à dextris altaris incenſi*: vt narrat D. Luc. candelabrum hoc, & altare. (ſic vult Deus) ſint ſimul coram me & hoc agendum eſt, vt ad veſperam intrent Aaron & filij eius ſacerdotes, vt componant lucernas, infundant oleum, & emungant eas vt clarè tota nocte luceant; & idem præſtabunt ad ortum ſolis, vt toto die fulgeant, ſit verò eo modo, quod componentes lucernas vt luceant, pariter incenſum & thymiama ponant in altari incenſi, vt vapor & odor fragrantiæ aſcendat coram me. *Et adolebit incenſum Aaron ſuaue fragrans manè, quando componet lucernas, accendet illud. & quando collocabit eas ad veſperam, vret thymiama ſempiternum coram Domino in generationes veſtras.* Aduertit Diu. Auguſtinus quod alia littera habet: *Et incendet ſuper illud incenſum continuationis*: Quibus verbis ſignificare Dominus intendit, illius actus continuationem, & credo quod itidem voluerit declarare quòd ita ſimul deberent adeſſe candelabri lampades, & ſuaue fragrans incenſum coram Deo, vt quaſi eſſent inuicem continua. Inſuper id aduertit antiquus & celebris Philo, quod in tota illa fabrica altarium & ſacrificiorum, hoc quod pro primo locabatur fundamento, fuerit adolere incenſum & aromata bene olentia coram Deo: *Non eſt fas immolare foris*, hoc eſt in altaribus holocauſtorum & ſacrificiorum, quæ erant extra ſecundam hanc partem tabernaculi: *Prinſquam intus à ſummo neomene ſuffitus ſit ſuffitus.*

[Margin: Exod. 27. — Exod. 30. 38. — Luc. 1. 11. — Exod. 30. 1. — Lib. 93. in Exo. q. 133. — Lib. de ſpiritu. dictim.]

VI. Candelabrum ſignat Chriſtianum.

Quis hæc ſuprema myſteria non admiretur, & quam ſunt omnia noſtro themati maximè conuenientia? Candelabrum hoc hominem Chriſtianum deſignat, Dei miſericordia in tabernaculo Eccleſiæ ſuæ conſtitutum: Totum ex auro, ob fidei puritatem, cuius ſymbolum eſt aurum purificatum, purum & defæcatum ſeu impermixtum: & ob hanc rationem ſeptem illi Epiſcopi (teſte Rupert.) quos Deus D. Ioanni Euangeliſtæ oſtendit, viſi ſunt ſub ſchemate ſeptem candelabrorum aureorum, ob fidei puritatem: Et ob eandem rationem Hiere Propheta, (vt notat D. Gregor.) vt exponeret, quomodo Synagogæ fides paulatim deficeret, vſus eſt hâc metaphora: *Quomodo obſcuratum eſt aurum.* Eſt autem candelabrum ductile malleorum ictibus formatum: non enim credat vir, Chriſtianus ſibi ſolam fidem ſufficere, ſed quòd inſuper expoliri & elaborari debeat pœnitentiis, moleſtiis, mortificationibus, & perſecutionibus, iuxta id quod ait D. Paul. *Omnes qui piè volunt viuere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patientur.* Vt luceat, à Chriſto collocatur in Eccleſia, & vt operibus ſanctis reſplendeat, quæ lucis opera dicuntur: *Collocabunt illud Aaron, filij eius, vt luceat coram Domino.* Tales hi erant, quibuſcum loquebatur. D. Paul. *Luceatis ſicut luminaria in mundo*: & ad hoc nos exhortatur: *Nox præceſſit, dies autem appropinquauit, abijciamus ergo opera tenebrarum & induamur arma lucis.* Nox præceſſit, in qua cum infidelitatis tenebris omnia noſtra opera, opera erant tenebrarum: illuxit iam lucis Euangelicæ dies: ſicut autem in noctis obſcuro, cuncta noſtra opera tenebroſa erant, ita ſint in hac die lucis, fulgentia, lucida, clara: Sint autem numero ſeptem, ſecundum virtutum ſeptenarium: quarum tres ſunt Theologicæ, & quatuor Cardinales: vel ſignificant opera omnis generis virtutum: ſeptenarius enim numerus, teſte D. Greg. in S. Scriptura quandam deſignat vniuerſitatem.

[Margin: In c. 1. Apoc. — Lib. 18. moral. c. 20. & 2. Paſtor. monit. 7. — Thren. 4. 1. — 2. ad Tim. 3. 12. — Ad Philip. 2. 15. — Ad Rom. 13. 12.]

Quocirca relucendum tibi eſt omni genere virtutum; pius ſis oportet & religioſus reſpectu Dei: per orationem ad illum recurrens, & humiles effundens querimonias: fidelis, eius ſanctam fidem confitendo; patiens, moleſtias quaſlibet perferendo, quas tibi immittit; gratus, recognoſcendo eius beneficia, quæ ex diuina

eius manu ſuſcipis. Sis iuſtus reſpectu proximi, cuique quod ſuum eſt, dando; miſericors pauperibus afflictis conſolator neceſſitate oppreſſis eleemoſynarius. Tui reſpectu ſis compoſitus, pœnitens, corpus tuum mortificando, & domando appetitus inordinatos, ieiuniis, pœnitentiâ, vnô verbô totum dixero: id age ad quod te monet D. Paul. *In omni opere bono fructificantes.* Luminaria hæc nutriri debent oleô charitatis: per illud enim bene charitas intelligitur: vt enim cæteris liquoribus oleum ſupernatat, ſic cæteris virtutibus charitas. Audi ſic docentem Apoſtolum D. Paul. *Nunc autem manent fides, ſpes, charitas, tria hæc: maior autem horum eſt charitas.* Et iterum: *Super omnia autem charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis.*

Ad Coloſſ. 1. 10.
1. ad Cor. 13. 13.
Ad Coloſſ. 3. 14.

Eſt autem hæc neceſſaria: ſine illa enim, licet eminentiſſima in ſua ſpecie exerceas opera, & ad multa vobis ſint vtilia, nullum tamen eorum ad æternæ gloriæ meritum, valere poteſt, vt proſequitur idem D. Paul. ſolemni illâ inductione. *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam &c. ſi habuero fidem, ita vt montes tr[a]nsferam, charitatem autem non habeam, &c. ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas &c. ſi tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem non habuero &c. nihil ſum.* Attende, quàm bene Deus candelabri fabricam componat; verumtamen ſcito, mentem eius eſſe vt candelabrum ad latus ſtatuatur, & ſit ei quaſi contiguum altare Thymiamatis, quod Deum verſus aſcendit: hoc inde diſce, vt peragens opera tua lucis, odorem bonum, & eorum ſuaue fragrantiam Deum verſus & cælum remittas, eiuſdem tantummodò gloriam, non tuam affectando: ſit cor tuum altare ex talibus conditionibus, quæ huic correſpondeant.

1. ad Cor 13. 1.

VII. Altera cor hominis denotat.

Primo ex ligno incorruptibili, affectus carnales edomando iuxta D. Petri conſilium. *Vt per hæc efficiamini Diuinæ conſortes naturæ, fugientes eius, quæ in mundo eſt concupiſcentiæ corruptionem.* Erige in eo pyramides, quæ ſic vocantur, ex figura & ſimilitudine flammarum ignis, ex Græco nomine πῦρ ignis: hoc eſt ex corde veſtro ferantur ſurſum affectus; & in altum volitent, inſtar flammæ ignis, monente nos D. Paulo: *Quæ ſurſum ſunt quærite, non quæ ſuper terram.* Surſum mittantur affectus veſtri, ſolam Dei gloriam ſpectantes, & eius oculis ſtudentes complacere. *Ne videaris hominibus ieiunans ſed Patri tuo qui in cælis eſt.* Sic Chriſtus tibi conſulit. Sit altare illud quadrangulum, in ſignum conſtantiæ & ſtabilitatis, quod ſic V. Beda exponit: ſint ſemper oculi veſtri defixi in Deum, quando opera veſtra bona facitis, nec eos vnquam in homines deflectatis: vt poſſit de vobis, dici id quod Spiritu S. commendat in illa Sancta muliere Anna Samuelis Prophetæ matre: *Vultus illius non ſunt amplius in diuerſa mutati.* Hinc aſcendat fumus ſuauiſſimus veſtrorum bonorum: quæ velut aromata ex diuerſis virtutibus compoſita ignis ille charitatis ad Deum mittat proteſtari: *Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.*

2. Pet. 1. 4.
Ad Coloſſ. 3. 1.
1. Reg. 1. 18.
Pſal. 113.

Ex hoc altari procedit corona ſeu aureola: ſola enim illa coronabuntur in cælo opera, quæ eo modo ſunt facta; quare deficiente hac conditione, Phariſæorum opera, licet in ſuo genere, & in ſe bona, hac tamen coronâ ſeu præmiô priuabuntur, quia eorum lauream ab hominibus receperunt, teſte Chriſto: *Receperunt mercedem ſuam;* & licet candelabra eſſent quæ exterius lucebant, operibus in ſpecie ſua ſanctis, altare tamen thymiamatis & ſuaue olentium aromatum non erexerunt, Deo opera iſta non retulerunt. Et hoc (docet V. Beda) oportet ſit veſtrum exercitium quotidianum: cum candelabrum ſis aureum ob puritatem fidei, & credis bonorum operum retributionem; omni manè componito lucernas tuarum potentiarum & ſenſuum, emunge illas, vt clarè fulgeant, intellectum tuum actibus fidei, voluntatem tuam affectibus amoris, manus tuas eleemoſynis, orationibus & diuinis laudibus os tuum, greſſibus ſanctis ad hoſpitalia & ſtationes pedes tuos: Patrem luminum deprecare, vt tibi lumen ſuum concedat, vt ipſe alios quoque bono tuo exemplo valeas illuſtrare: oratio tua ſit illa Dauidis. *Tu illuminas lucernam meam Domine Deus meus, illumina te[ne]bras meas.* Domine mi, Pater es luminum: ſine te lux boni operis non fulget, ſi tu Domine lucernas, potentias animæ meæ tuæ claritatis lumine non accenderis. Hanc mihi præſta gratiam, vt omnes potentiarum mearum lucernæ bonis operibus eluceſcant. Faueto mihi, vt ore confitear tuam ſolam fidem, & peccata mea: auribus diuinam doctrinam & laudem: manibus adiuuem in neceſſitate preſſos: pedibus curram in ſatisfactionem peccatorum. Eaſdem lucernas præparato ad veſperam ſtricto conſcientiæ examine, Deo gratias agens, pro eo, quod egiſti, bono, ſi quid egiſti, & pro delictis veniam deprecans. Cum ſis igitur tot lucernarum candelabrum, quot tibi potentias & ſenſus Deus eſt

Pſal. 17. 29.

largitus

largitus ad bene operandum, luceto, homines fugiendo. *Luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona.*

Cum autem altare aromatum erexeris, id eſt, cor tuum, pariter primò omnium, offert Deo operum tuorum ſuaue fragrans thymiama, vt ſint in eius honorem, hæc tua ſit mens, & exemplô tuô cæteri Deo ſeruiant, eiuſque nomen glorificent. *Vt videntes opera veſtra bona glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt.* Conuenit Magiſtro diſcipulus & D. Paul. Chriſto: dum ſic monet *Siue ergo manducatis, ſiue bibitis, ſiue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Et hoc idem tibi incumbit, in quolibet ſacrificio, quod Deo conſecras, ſiue pœnitentiæ pro peccatis tuis, ſiue orationum, Confeſſionis, Communionis, ſiue eleëmoſynarum antequam illa offeras, pro fundamento ſacrificium facito incenſi & aromatum, ſanctâ tuâ intentione remittendo, quidquid ſis acturus, in ſummi Dei honorem, velut cui primariò & principaliter optas complacere, ſeruire & gratulari.

1. ad Corin. 10. 31.

## §. 16. *Imaginare te adſtare conſpectui Dei, quando ieiunas, & in eum tuos defige oculos cum Dauide, & vt ſancta Ezechielis animalia.*

32

Hom. 26. in Epiſt. ad Hebr. a Tract. 2. p. 1. §. 12. b In meditat. c. 6. ad fin.

SI autem ſcire deſideres, quomodo hæc poſſis in praxim redigere, accipe doctrinam D. Chryſoſt. quam dedimus *a.* & conſulit D. Bern. *b.* quando bonum aliquod opus aggrederis: imaginare tibi excelſum quendam thronum, in quo tibi proponas Deum ſedentem tota cæleſti curia circumcinctum, te verò in conſpectu diuinæ Maieſtatis & celſitudinis adſtantem, eò planè modô, quô dicit D. Paul. adſtitiſſe Moyſen: *Qui inuiſibilem, tanquam videns ſuſtinuit.* Recogita, Deum cum toto ſuo cælo te ſpectantem. Hoc eſt agere id, quod dicit Spiritus S. de iuſto: *Qui in ſenſu cogitabit circumſpectionem Dei.* Qui ſibi imaginabitur, ſe adeſſe conſpectui Dei, qui intueatur attentè & circumquaque id omne, quod operaris.

Ad Hebr. 11. 27. Eccl. 14. 22.

Notatu dignum eſt verbum hoc; *Circumſpectionem*: declarat enim, Deum non ſimpliciter ſeu perfunctoriè opus intueri, ſed videre, iterumque videre, ex omni parte circumſpicere, eius radicem, principium, medium & finem, & hoc eſt, circumſpicere; quod bene dixit D. Aug. *Tu es enim ſpirituum ponderator, & vtrum radix dulcis ſit, an amara, de qua foris pulchra folia emittantur. Tu iudex interius melius ipſe noſti & etiam medullas radicum ſubtilius perſcrutaris, & non ſolùm intentionem; ſed radicis eius medullam intimam diſertiſſimâ tuæ lucis veritate colligis numeras, intueris, & conſignas, vt reddas vnicuique non ſolummodo ſecundùm opera, vel intentionem, ſed etiam ſecundùm interiorem abſconditam medullam radicis, de qua procedit intentio operantis.*

D. Aug. Tom. 9. in ſoliloq. c. 14.

Magni ſunt hæc ponderis verba: Imaginare tibi in ſenſu tuo Deum reſidentem, illô modô perſcrutantem opera tua, cor tuum, intentionem tuam, *Medullas radicum intimas* &c. *In omnibus quæ agis* (docet te D. Bernard.) *Deum eſſe præſentem cognoſce.* Et conſidera ſupremam tantamque Maieſtatem, profundâ humilitate offerto illud, quod agere intendis, vilem tuam paupertatem agnoſcens, & quam nihil ſis, ei referens gratias infinitas, quod ſibi placuerit obſequium ſuſcipere tam abiectæ creaturæ, & vermis proiectiſſimi, idque in rebus, quæ illi tam parum conducunt.

D. Bern.

Hoc autem agebat Dauid, homo ſecundum cor Dei: *Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper* Hæc mihi erat perpetua ſollicitudo, ſemper mihi ante oculos Deum conſiderare præſentem. Aduerte cum D. Baſil. illud *ſemper*, quod bene capietur, ex declaratione alicuius difficultatis circa myſterioſa illa animalia, quæ Deus oſtendit Ezechieli, nobis in his veriſſimum indicans ſymbolum ſuorum ſanctorum. Dicit de illis primò Propheta: *Vbi erat impetus ſpiritus illuc gradiebantur, nec reuertebantur cum ambularent.* Et duabus lineis infra, ſtatim dicit: *Animalia ibant & reuertebantur in ſimilitudinem fulguris coruſcantis.* Opponit D. Gregor. ſubſiſte paulisper, ô propheta, videtur quòd cum vix rem vnam dixeris, ſtatim illam recantes. Si dicis: ibant & non reuertebantur, quomodo ſtatim adiungis: ibant & reuertebantur. *Valde ſibi hæc videntur eſſe contraria: ibant & non reuertebantur, & ibant & reuertebantur.*

Pſ. 15. 8.
*Lib. 1. de reg. breui. or reg. 21. & lib de reg. fuſ. reg. 5.*
*Cap. 1. 12.*
*Cap. 1. 14.*
*Hom 5. in Ezech.*

I. Locus Ezechielis difficilis explicatur.

Viſa fuit aliquibus tanta hæc difficultas, ut referente D. Hieron. opinati ſint & voluerint ſecundam hanc ſententiam eradendam, cùm tam contraria priori videatur, dixeruntque Septuaginta Interpretes eam ex proprio cerebro addidiſſe. Non poteſt hoc dici, replicat D. Hieron. nec tale reſponſum admitti: quia iuxta illud, multas deberemus ex ſacro textu expungere ſententias, quæ ſibi videntur contrariæ. Videto idipſum in Prouerbiis quòd duas ſimul ponat ſententias: Primam: *Ne reſpondeas ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne efficiaris ei ſimilis.* Secundam:

*In c. 1. Ezechiel. To. 6.*

*Prou. 26. 4. 5.*

*Reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens eſſe videatur.* An non tibi videntur hæ duæ ſententiæ ex diametro eſſe contrariæ? Verbis verè ſunt; in ſenſu verò minimè: earum enim auctor eſt Spiritus ſanctus qui cum ſemper proloquatur veritatem, ſibi contradicere non poteſt, & in hoc quòd ſibi contrariæ eſſe videntur, diuina continent documenta, quæ modò non vacat declarare.

In c. 1. Ezechiel.

Quâ igitur ratione duas has facies conuenire ſententias? *Ibant & non reuertebantur; ibant & reuertebantur.* Ego tibi explanabo, ait D. Hier. Hoc intellige de capitibus eorum ac faciebus: quando dicit non reuertebantur: quia progredi vertendo caput, ſignum eſt leuitatis: quando verò ait, *ibant & reuertebantur*, hic ſenſus ſit de eorum corporibus, reipſâ enim ibant & reuertebantur corporibus ſuis, modò ante, modò retro, vbi, & quomodo eos impetus ſpiritus propellebat. Hoc indicare voluit ipſemet Propheta his verbis: *Vnumquoque eorum, coram facie ſua ambulabat.* Expoſitio eſt hæc literalis, quæ D. Theodoreto viſa eſt legitima, & noſtro optimè conducit intento.

In c. 1. Ezechiel. hp. 5. cit.

II. Deus ſemper habendus eſt præ oculis.

Negari non poteſt (aſſerente D. Gregor.) viros ſanctos debere coram facie Dei ambulare operibus pietatis & cultus diuini, orationibus, confeſſionibus, communionibus, ſtationibus & actibus religioſis. Itidem ipſis eſſe neceſſarium reuerti ad proximum eleëmoſynis in pauperes, captiuos, xenodochia, viduam nudam clamyde, algentem veſte; & etiam ad ſe ipſos, vt carnem ſubiiciant rationi, ieiuniis, diſciplinis & actibus mortificationis, prout Spiritus ſanctus illos ſuo impulſu monet interiùs, & præceptis Dei, ac S. Eccleſi exteriùs. Verumtamen totum faciant, oculos ſuos ſemper in Deum habentes defixos; nec caput, nec oculi retro vertantur, ne id contingat (terrente nos D. Hieron.) quod

Gen. 19.

gratiæ Dei expers paſſa eſt vxor Lot, quæ montem ſurſum aſcendens feſtino gradu, vt incendio Sodomorum incolumis eriperetur, ſeque ibidem ſaluam tutamque ſeruaret, oculos tamen retro deflexit, profanam intuita ciuitatem, quo aſpectu omnes eius paſſus fuerunt irriti. O magnum infortunium, greſſus figere ſaluationis ſurſum ad montem, & oculos retro Sodomam verſus reflectere? Sic agunt ſtolidi & maleſuadi Chriſtiani, greſſus cælum verſus dirigentes ieiuniis, eleëmoſynis, orationibus, ſtationibus, miſſarum ſacrificiis, aliiſque bonis operibus, reuertuntur, oculos retrorſum ad mundum conuertunt, vt illi complaceant, & ſancti videantur. Non ita ego, teſtatur Dauid, Actus religioſos ad Dei gloriam exequor, & reuertor operibus charitatis, proximo meo ſuccurrendo, oculos numquam deflectens retrorſum: illos enim perpetuò fixos detineo in Deum cælum verſus: *Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper.* Intendit dicere (explicat D. Thom.) id quod in alio Pſalmo dixit: *Oculi mei ſemper ad Dominum.* Vel vt aduertit Brixianus ex Hebræo: *Conſtituebam è regione mei Deum tanquam ſpectatorem.* Videtur autem ſpectare, id quod Deus Moyſi præceperat, quando primum poſcit ab ipſo aquam populo ſitenti: præcepit ei, vt ſenioribus aſſociatus pariter & nobilioribus petram ſcandat, ſitam in cacumine montis Oreb; & quod ipſe Deus ſtaret ſupra petram, viſibiliter ſe oſtendens. Credit Lipoman. hoc ſic factum, ſupra petram columnam illam ignis collocatam, quæ populum ducebat, quæ erat inſtar throni Dei. *Ego ſtabo ibi coram te ſupra petram.* Hoc autem tibi erit agendum: *percuties petram*, oculis tamẽ in me defixis, qui ſtabo ſupra petrã.

Pſ. 24.

Pſ. 24. 15.

Exod. 17. 6.

III.

Hoc eſt quod à te poſcit Deus, verbera in petram; diſciplinas in carnem tuam, ieiunium in corpus tuum, eleëmoſynas in pauperes, veſtitum in nudos, greſſus in noſocomia; oculis tamen fixis in Deum; idque iuxta Chriſti conſilium: *Ne videaris hominibus ieiunans, ſed Patri tuo qui videt in abſcondito & Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi.* Si verò ad alteram partem deflectas oculos, non habes, quod ab ipſo poſſis ſperare, quia tales ab illa opinione reuocat, dum ait: *Receperunt mercedem ſuam.* Vt verò te ad hoc obliget, loquitur tibi Chriſtus, te præueniens, vt huic rei diligenter inuigiles, & grauis ſis, & prudenter progrediaris *Attendite, ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis: alioquin mercedẽm non habebitis apud Patrem veſtrum.* Ratio eſt: cum ſit enim vana gloria, & humanæ laudis appetitus tinea quàm maximè nociua, & quæ bonorum operum deperdat & valorem, & meritum, & ea relinquat ſine ſubſtantia curculionis inſtar, quæ conſumpto optimo tritici grano, relinquit ſolam paleam, & exteriorem apparentiam; Eſt pariter vitium ſummopere fictum, diſſimulatum & quod ſuauiter, & inaduertenter ſe ingerit pectoribus ſanctiſſimorum etiam virorum, eſtque ſuperatu perdifficile. Non eſt peccatum vile ac ſordidum, quod vilia ac ſordida corda oppugnet, & terrena, quæ rebus vilioribus, inferioribus, ac nihili occupantur, ſed viros aggreditur præclariores, qui & ſidera tranſcendant operibus.

Matt. 6.

IV.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

bus religioſis, ac toti mundo ſtupendis. Non inquietat ſordidum ſenſualem, fœtenti luto ſuarum turpitudinum demerſum, nec gulæ deditum; qui non alterius magis ſit ſollicitus Dei, quàm ſui ventris. Non moleſtat auarum vilem, cui totum cor ſit infimis terræ bonis affixum; ad illos, nec oculos quidem deflectit, vt illos aſpiciat: ſed illum aggreditur, qui carnem ſuam debellat diſciplinis, ieiuniis, & aſperioribus pœnitentiis: illum, qui altiſſimæ contemplationi intentus conuerſatur in ſupernis: illum, qui nihil aliud curare videtur quàm confeſſionem, communionem, Sacramentorum frequentationem, opera miſericordiæ, viſitationes hoſpitalium, orphanorum ſubſidium, pauperum remedium; cuius hanc ſcito rationem eſſe, quam dedit D. Auguſt. expendens huius peccati conditionem ſeu naturam, quæ adeò ſingularis eſt, vt omninò contraria naturæ vitiorum in genere eſſe videatur, & eorum quæ agnoſcimus in particulari.

Iure. gula.

Res eſt notiſſima vitium per virtutem deſtrui eidem contrarium, & iuxta ſcitum philoſophicum, vnumquodque corrumpitur per ſui contrarium: deinde in alphabetico noſtro ſeptem eſſe peccata mortalia in particulari legimus, & hæc per ſeptem alias virtutes illis contrarias ſuperari: ſuperbia enim humilitate deuincitur: auaritia liberalitate repellitur: luxuria caſtitate exterminatur &c. Hoc autem vitium vanæ gloriæ, non ſolùm non deſtruitur aut virtutum actibus emoritur; quinimò ex eiſdem naſcitur & excitatur, & tantò inſurgit vehementiùs, & tantò vires ſumit fortiores, quantò virtutum actus ſunt excellentiores, & ſuperioris meriti: & ex iis actibus virtutum maiori efficaciâ ſibi robur ſumit, quas ex diametro illi cognoſcimus eſſe oppoſitas. Ruminant hoc ſubtiliter D. Hieron. a & Auguſt. b quod & vnuſquiſque in ſeipſo poteſt aduertere. Videbis prædicatorem celebrem habentem concionem, in qua eloquentiâ quadam diuinâ, conceptibus exquiſitiſſimis ex intimis viſceribus S. Scripturæ hauſtis, & omni genere Doctorum, totis viribus vitium iſtud ſtudet eradicare, oculis ſpectanda offerens eiuſdem damna, & ea quàm magna producat in animâ, quâ ratione deſtruat opera ſancta, quantâ ſollicitudine debeat repelli id quod tantam edit ſtragem; & quantò vehementius in illud inuehitur, lucidius perorat, illud exterminare conatus & annihilare, vt omnibus videatur exterminatum; eò fortius inſurgit, & cor prædicatoris inuadit, & eo ipſo illum aggreditur, cruento ſatis conflictu: ab intus enim eum alloquitur. O amice, ſis quietus, quam oratoriè contra vanam gloriam peroraſti! ô quis non admiretur orationem adeo bene fundatam! ô quam gratus auditorio! ô quales applauſus in populo commouiſti! Ipſemet D. Auguſtin. fatetur, hoc ſe expertum; cum enim ſtatuiſſet die quodam contra hoc vitium detonare, iamque diſcurſu ſui intellectus plus Angelico quàm humano optimè fundato perorarer, maiori eniſu rem cordi haberet, ac eloquentiâ ſuâ admirabili, omnium animos ab ore ſuo ſuſpenderet, vanam gloriam abrogaret: medio orationis inchoatæ decurſu ſiſtit; & ait: Notate, quæſo, Fratres, quis ille ſit inimicus tam ferox, qui quò plus illum aggredior, & fortiores in eum explodo globos, ipſis rationibus quas & auditis & videtis, quibus eum oppugno, eò ſe feruentius erigit contra me, bellum mouet, ſed ſuaue, & cor meum impugnat, ſed magnarum virium adulationibus, me efferendo; O Auguſtine, quàm eloquenter peroras, quam aptè auditoribus tuæ quadrant rationes! quàm altè ſuſpenſos tenes populos, quàm ab ore tuo dependentes, quid te plura poſſet Angelus? *Hæc mihi ipſe quotidie canto* &c. *Tamen vehementer cum aduerſario dimicans, ſæpe ab eo vulnera capio.*

a Lib. 3. in Epiſt. ad Gal. ad ſin.

b Epiſt. 64. ad Aurel. Epiſc.

Epiſt. 64. to. 2.

V. D. Auguſtinus contra vanam gloriâ prædicans ab ipſa moleſtatur.

Quàm virulentus, & venenatæ naturæ foret draco ille, qui duriſſimo ictu quo eum percuteres, & auferres caput, magis roboraretur, vires illi accreſcerent ex vulnere, & furioſior in te aſſurgeret? quis eum ſperaret poſſe ſuperari? quis ignis tam difficilis extinctu, qui quò maiora aquæ fluenta, vt extingueretur ei ſuper infunderes, eò feruentius accenderetur, & ex ipſa aqua flammas reciperet ardentiores, vt his te in cineres redigeret? Hoc mihi contigit (teſtatur D. Auguſt.) cum dracone illo infernali, & igne conſumente omne bonum; vnde ei enata eſt perpetua ſuſpicio, quam ipſe fatetur, dum ſibi foret prædicandum. *Credite cordi noſtro, quod videre non poteſtis, ſcit ipſe, qui miteſcat nobis, qui propitius ſit nobis, cum, quando ſub illo tremore, ad vos loquimur.* Quin imò idem de ſe fatetur Magnus ille D. Gregor. Abſoluto enim opere illo ſatis numquam laudato, Expoſitionis moralium in Iob; vbi multoties ſubtiliter agit contra hoc vitium; cùm abſoluto vero opere illud relegeret, & ſibi videretur eſſe optimum, ex ipſa ſui operis excellentia, ecce inſurgit vitium illud, & tanto cor eius impetu pulſat, dicens; ô Gregori, quam ſubtiliter ſcripſiſti, quàm eminentem excellentiam includunt tui diſcurſus; quàm ad

VI. Similitudo.

*In illud Pſ. 50. Audi tui meo.* D. Augu. *tom. 8.*

VII. Ipſa quoque D. Gregoriū impugnauit.

viuum huius vanæ gloriæ damna expreſſiſti! vt S. Pontificem in tam arctas compulerit anguſtias, vt ne hoc vitio ſuperaretur, totis animæ ſuæ viribus ad Deum recurreret, ſupplex auxilium petiturus, & orationum ſuffragia, ab iis qui eius hoc opus eſſent perlecturi, emendicaret. Hanc ob cauſſam monet nos D. Hieron. vt ſolliciti & anxij ambulemus ſeu viuamus: audientes D. Paulum. *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes.* Vitium hoc tale eſt, ait, vt ſi vel vnô momentô negligenter & incuriè te geras quantò magis ſincerè velis illud exſtirpare, eô ipſo magis inſurget nouaſque contra te vires recuperabit. Cape experientiam, ait, in eo quod etiam aduertit eloquentiæ Princeps Cicero de alio, qui ex propoſito magno labore, ac vigiliis integrum librum compoſuit contra illud vitium, tantùm vt illud eradicaret, & de hominum cordibus erueret appetitum illum vanæ gloriæ, & laudis terrenæ deſiderium; hunc prænotauit *De contemnenda gloria.* Et ſi rem intimius rimeris, inuenies, quòd quantò illo in opere vlterius progreditur, tantò magis excitatur in auctore ipſo vitioſus ille vanæ gloriæ affectus, cuius ſit deſiderium, vt omnes librum videant, legant, rumigent, extollant. Ita vt, eo ipſo, quo contra vitium illud debacchatur: quæreret, optaret, intenderet vanam hanc gloriam, vnde quantâ potuit emphaſi principio libri nomen ſuum præſcripſit. *Videas pleroſque (quòd etiam Tullius ait) libros ſuos de contemnenda gloria ſcribere, & cauſsâ gloriæ proprij nominis titulos prænotare.*

35. *Lib. in epiſt. cit.*

*Gal.* 5. 26.

VIII. Vana gloria difficile ſuperatur.

D. Hier. *Tom.* 9.

Hoc etiam liquet in multis Prædicatoribus, quòd dum prædicant contra illud vitium, & optant illud mundo eliminare, hac viâ eorum cordibus inſigatur: & patet propriam gloriam eſſe primam in intentione & eorum deſiderio, in eo quòd affliguntur & contriſtentur, quando peractâ concione, qui eos laudibus efferat, aduertant eſſe neminem. Quid ergo (ait) quando concionem & prædicatorem vituperant, reprehendunt, reiiciunt, vel alios ſibi vident præferri? viuunt, vt dicit D. Paul. *Inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes.* Hinc D. Hieronym. educit hanc propoſitionem, quòd ſi poſſint aliis ſancti admirationi eſſe ob præclara eorum cùm opera, tùm miracula, ſicut multi eorum nobis ſunt admirationi, inde tamen maiorem anſam admirationis præbent, quando præter illa, admiramur, illos vincere vanam gloriam potuiſſe, quæ ex ipſis cùm virtutibus, tum miraculis ſoleat exoriri: proinde vitam S. Hilarionis deſcribens, poſtquam ſtupenda eius retulit miracula, abſtinentiam prodigioſam, ieiunia penè fidem omnem excedentia, ſupereminentem S. Scripturæ notitiam, demum his verbis concludit: Quod in Sancto viro illo ſummâ admiratione dignum fuit, ſupra tot & tantas prærogatiuas virtutum, hoc erat, quòd pedibus ſubſtrauiſſet & conculcaſſet gloriam, bonam opinionem & hominum laudes, non tantùm eas non acceptando, ſed ſeipſum ſemper vilipendendo. Hæc ſunt D. Hieron verba: *Mirentur alij ſigna quæ fecit, mirentur incredibilem abſtinentiam, ſcientiam, humilitatem, ego nihil ita ſtupeo, quàm gloriam & honorem illum conculcare potuiſſe.* Idcirco notat Eccleſia, & ſummis effert laudibus Angelicum Doctorem S. Thomam; quòd præter tot prærogatiuas, quibus cæteris eminebat, vtpote nobilitatis (erat enim patre natus inter principes præcipuos Regni Neapolitani: matre verò duarum reginarum ſorore legitimâ) ſanctitate præclarâ, quâ ſingulis penè horis in aëra extaticus ſurſum rapiebatur; ſapientiâ cæleſti & Angelicâ ab ipſomet Chriſto comprobatâ: nunquam aduerſus eum hoc vitium præualuerit: ita vt nec quidem primas ſenſerit titillationes *O munus Dei gratiæ vincens quoduis miraculum, peſtiferæ ſuperbiæ nunquam perſenſit ſtimulum.* Penſanda ſunt illa verba (*nunquam perſenſit ſtimulum*) Opus agere præclarum, & de ſeipſo humiliter ſentire, nec locum dare vanæ gloriæ, ipſo opere eſt magis mirandum, hinc D. Bernard. *Mirabilem apparere, & contemptibilem reputare, hoc ego ipſis virtutibus mirabilius iudico.* Hac occaſione idē addit quod ex D. Hieron. retulimus, valde raros eſſe, etiam inter ſanctitate præclariores, quos hoc vitium non oppugnet, & ſi eos non ſuperet, ad minus non ſummopere coarctet; Eſt autem hoc vitium tale, & ſuperatu adeo difficile, vt vix vllum D. Hieronym. inueniat qui ex eo omnimodam referat victoriam; hoc verò aſſerebat verbis certè diuinis, conueniens vniuſcuiuſque iudicium: *Conueniat vnuſquiſque cor ſuum, & in omni vita inuenies, quàm rarum ſit fidelem animum inuenire, vt nihil ob vanæ gloriæ cupiditatem, nihil ob rumuſculos hominum faciat* &c. *Difficile eſt Deo tantum iudice eſſe contentum.*

*Ad Gal.* 5. 26.

Sæpius aduertunt D. Cyprian. *a.* D. Gregor. *b.* id quod refert D. Luc. *c.* de ſeptuaginta duobus Chriſti diſcipulis elegit eos, nominauit eos, miſit illos prædicare, cum plenaria curandi infirmos poteſtate, & dæmonia eiiciendi auctoritate. Profecti ſunt, & laudabiliter officiō ſuō

IX. Pauli illum concul.

D. Hie.

Serm. 23. Gal.

D. Hier.

D. Hier.

36.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*mar. c. 4. & hom. 19. in Ezech. & lib. 9 Reg. Epiſt. 36. c Luc. c. 10. D. Cyp.*

ſuo functi reuertuntur; perpendunt, quàm feliciter eis opus hoc ſucceſſerit, quod egerant; exſurgit illico in eorũ cordibus affectus, neſcio quis, vanæ gloriæ, cum magna complacentia fructus illius, quem meſſuerant, accurrit pariter feruens deſiderium, vt totus eis orbis propter hoc congratuletur. *Complacebant ſibi in miraculis gratulabundi*, ait D. Cyprian. Qui id non aduertentes, illi frœnum laxabant, eo modo, vt neceſſe fuerit Chriſtum illos reprimere, redarguendo, & exemplum proponendo caſus ac perditionis ſupremi Angeli, quem ſimilis inanis ſui complacentia mutauit ex nobiliſſima creatura in dæmonem maximè abominabilem, eumque cælis exturbauit: *Videbam Satanam ſicut fulgur &c. Repreſſa eſt* (dicente D. Cyprian.) *increpante Domino ſimplicitatis eorum præſumptio.*

*Luc 10. 18.*

Hoc contigit illis diſcipulis. Quis eſt, qui idem non patiatur? Communiter euenit, quòd eo momento, quo opus aliquod excellens ad Dei gloriam ordinatur, ſtatim homo ſentiat in ſe eiuſdem magnam complacentiam, cuius in pectore gloriola quædam oriatur, deſiderium inflammetur, & exurgat cupiditas, vt omnes id videant, magni faciant, & auctorem collaudent. Oritur tibi (ait Origen. hoc deſiderium & vanæ gloriæ cupiditas in occurſum, poſt opus pium ac bonum, quod feciſti. Sicut Duci Iephte vnica occurrit filia, tota feſtiua præ gaudio, & ſignis congratulationis, quando cruento prælio deuictis hoſtibus, inſigni victoriâ clarus pater domũ remeauit. Qñado tibi tunc occurret, occide illam, vt Iephte filiam, ſanctæ intentionis cultro, ſoli Deo illud offerendo, vt declarauimus. Viue ſollicitus, conſeruans in oculis Dei illud quod pro eo agere incepiſti, præcauens ne oculos tuos declines ad oculos hominum, vt docuit Moyſes, erigens manus ſuas, & ſurſum elatas vi magnâ detinens, vt de hoſtibus victoriam reportaret. Vide eoſdem Tract. vbi valde fusè egimus de iis quæ ad hanc rem ſpectant.

*Loco cit. X. Illam vt Iephte filiam ſuam, occide. Iudic. 11. 34. Tract. p. 2. § 4 & ſeqq.*

## §. 17. *Tertius labor. Expoliendus eſt homo in ordine ad proximum, idq; eleemoſynis, quibus in cælo theſaurizatur.*

☞ 37 RE ſtat pars vltima, eaque tertia, per quam lapis denuò dolari debet, idque quâ parte reſpicit proximum. Naſcimur omnes propriis noſtris commodis inclinati, vt non ſolùm velimus nobis id quod noſtrum eſt, ſed inſuper adhuc viget in nobis auaritiâ, quâ manum mittamus ad aliena. Tam longè ab hoc oportet te diſtare (monet Chriſtus) vt iniuriam proximo non irrogare præſumas, ei quod ſuum eſt, adimendo, quin potiùs, dum videris eum premi neceſſitate, & de tuo ſuccurras, dans ei eleemoſynam, & adiuuans eius inopiam.

Hoc tertium eſt, quod nobis Chriſtus in hoc Euangelio decernit, dare pauperibus eleemoſynam. Ita intelligunt D. Chryſoſt. *a* D. Petrus Chryſol. *b* D. Auguſt. *c* & optimè ad rem probat D. Baſil. *d* Aduerte, quæſo te, artificium Chriſti Saluatoris, vt eleemoſynam des libenter, & hilariter, non tibi dicit abſolutè, vt des bona tua alteri, ſed eorum tibi diuitem theſaurum congreges in cæleſtibus: *Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, vbi ærugo &c. Theſaurizate autem vobis theſauros in cælo.* Nolite facere ſarcinas de theſauris veſtris, neque illos colligatis, vt in terra dimittatis; mille namque ſubſtabunt periculis, hinc ne tineâ corrumpantur, inde ne ærugine pereant, aut à latronibus auferantur. Facite theſaurorum veſtrorum ciſtam, cælum, illoſque ibidem recondite: illic enim eos non abſumet tinea, rubigo non exedet, nec diripient latrones: eſt enim ab his omnibus liberum. Et cum ibidem habueritis bona veſtra, eritis & vos pariter illic: res eſt enim notiſſima, quòd quiſque illic habeat cor & animam, vbi habet & theſauros.

*a Ho. 21. in Matt. b Serm. 7. & 8. c Ser. 37. ex diuerſ. d De inſtituendis venienti. bus ad Baptiſmum.*

*I. Eleemoſyna eſt theſaurus in cælo.*

Mille rationes offeruntur, quibus ad eleemoſynam obligamur (quas aliàs declarauimus.) Hanc ſolummodò volo expendere, quam Chriſtus nobis indicat, dum ait, date eleemoſynam, ita cedere ad emolumentum noſtrum: vt non ſolùm nos perdamus ea quæ largimur, ſed potiùs ea nobis in cælo reddamus ſecuriora. Vt nobis Chriſtus vitam inſpiret, id agit quod olim Eliſæus, vt puerum mortuum ſuſcitaret: quid egit? coniunxit oculis oculos, & ſuos poſuit ſuper oculos pueri, & eo modo illuminauit, & vitam dedit. Oculos hominis, & id quod maximè attendit, hoc dixero eſſe, quomodo poſſit diuitias congerere, theſauros congregare, augere, cuſtodire, vt dum voluerit, eis vti poſſit. Super iſtos Chriſtus ſuos ponit quoque oculos: & ait: ego idem tecum prætendo, vt multùm diues ſis, diuitias tuas certo loco ſeruatas habeas, ſecuras & omni periculo liberas. Et ita ſtatuit, vt eas in terra non dimittas: ſubiacebunt enim illic plurimis periculis. Verùm vbi ab omni periculo ſint liberæ, hoc eſt in cælo.

*Tract. 2. p. 2. § 1. vſque ad 10.*

*Theſaurizate vobis* &c. Notate, diuites (ait D. Auguſt.) verba hæc. Non vult Deus bona tua

*Vide tract. 2. p. 2. § 10. vbi vſque 20.*

*In Pſ.48.* tibi perire, ſed accreſcere,& loco reponi ſecurio-
*& 85 &* ri *Vobis.* Et hoc tecum agit, quod fidelis quiſ-
*ſerm.50.* piam amicus poſſet agere, qui domum tuam in-
*de temp.* grediens, videnſque te habere triticum in vitæ
II. tuæ alimentum,ſed repoſitum, loco humili, ma-
Similitu- dido & pleno curculionibus, vbi facilè corrum-
do, patur,tibi diceret: Amice,attende tibi,quod ſi eo
loco triticum reliqueris, totum conſumetur, &
vermes corrodent, transfer in altiùs cubiculum
verſus auſtrum,ſiccum,bene purgatum, vbi illud
conſerues, quando tempus tibi neceſſarium fue-
rit: *Noluit Deus (ait) ne perdas diuitias tuas, ſed*
D.AVG. *vt locum illis mutes conſilium dedit* &c. Addit D.
*Tom.8. &* Petr Chryſ. *Quid tam paternum, tam prouidum*
10. *de charitate conſilium? Nihil tibi perire vult, qui*
*Serm 7.* *tua in theſauris cæleſtibus vult reponi. Quàm ſe-*
*curus dormit, qui Deum ſuorum meruit habere*
*cuſtodem? Quàm neſcit curas, quàm deponit an-*
*gores? quàm non eſt anxius, quàm ſeruorum caret*
*faſtu, qui ſua Patri cæleſti ſeruanda committit?*

*Serm. de* Quale beneficium (teſte D. Chryſoſt.) faceret
*laud. Mo-* operario auaro qui ei campum indicaret,vbi ne-
*nach.* que arando, neque rigando abſque lapidum, vel
III. nebularum,vel animalium vllo periculo ſpargere
Similitu- poſſet ſemen ſuum, ſecurus de meſſe, & quòd
do, plusquam centum pro vno colligeret: Hoc Chri-
ſtus agit, hunc agrum tibi indigitat, vbi multi-
plici fœnore triticum tuum ſemines. *Felix eſt a-*
*ger pauperum.* Addit idem Doctor aliud ſimile,
IV. ſuo conformiter ingenio Si in pago quodam ha-
Similitu- bitares, diuitiis abundans, certoque, ſcires infrà
do, paucos dies te illinc eiiciendum,& dum migras,
omnia quæ poſſides, tibi ab aliis auferenda, qui
te cogerent ibidem omnia relinquere, ſic vt nec
vel aciculam tecum auferre liceret, & deduce-
rent in alium locum, & regionem, in qua nihil
inuenias præter id, quod ex eo pago illuc tranſ-
miſiſſes.Quantum ille tibi præſtaret beneficium,
qui tibi modū ſuggereret, quo quidquid ibidem
poſſides in aliam transferas regionem & ſecurū
redderet te ibidem conſeruatum, ac multiplica-
tum totum, cum illuc intraueris, reperturum?
Quàm non ſollicitus eſſes;illuc,quidquid habe-
res transferendi, nihil omittens omninò? Inſuper
*Tob.14.6.* refert proficuum illud conſilium olim à Tobia fi-
lio, nepotibuſque ſuis aptè propoſitum. Vt pere-
grini habitabant hi in ciuitate Niniue, vbi mul-
tas ſibi diuitias congregauerant Sciebat autem
vir hic pius diuinâ doctus reuelatione,infrà pau-
cos dies maledictam illam ciuitatem funditus e-
uertendam omneſque eorum diuitias certò per-
dendas. Vocat ad ſe vir grandæuus filium ſuum
ac nepotes morti iam proximus; Hæc enim illa
hora eſt, quâ dantur & conſilia certiora,& veri-
tates iudicantur puriores: atque: Filij mei cha-
riſſimi,eſtis hic vt aduenæ,notum ſit vobis, bre-
ui ciuitatem hanc penitus eradicandam, omnia-
que quæ hic poſſederitis,demolienda,atque diri-
pienda. Educet Deus vos hinc, adducetque in
Hieruſalem veſtrum natale ſolum. Hoc vobis
curandum,hic non figatis ſedem aut diutiùs hæ-
reatis, quin potius omnia veſtra ſic componite,
vt ea in Hieruſalem tranſmittatis, vbi deinceps
veſtrum erit fixumque,domicilium. *Propè eſt*
*interitus Niniue* &c. *Audite ergo filij patrem ve-*
*ſtrum* &c *Nolite manere hic* &c.

Hoc idem Chriſtus nobis, vt pater optimus
& fideliſſimus amicus conſulit, videt nos in hoc
mundo (qui, vt dixit D Petr. conſummandus *1 Pet.3,*
eſt, & cuncta quæ in eo fuerint.) Nouit etiam, *10.*
quòd, quanta vos ô diuites, hic poſſederitis, ſint
in hoc mundo relinquenda, vt ne piſum quidem
permiſſum cuiquam ſit hinc auferre, & ſecum
conferre. *Diues cum interierit, non ſumet omnia.* *Pſal.48.*
Nihil licebit in diſceſſu auferre, nec crumenam *16.*
aureis ducatis grauidam, nec argentea ſcrinia,
nec tapetes pretioſos. Repone ergo illa loco ſe-
curiori; & præmitte in illam regionem in quam
tendis peruenire,cæleſtem(inquam) Hieruſalem:
illuc theſauros tuos tranſmitte: *Theſaurizate vo-*
*bis theſauros in cælo.* Quia verò videtur (ait D. *Serm. de*
Baſil.) quod Chriſtus vos anxios videat, & du- *inſtitut.*
bios, quâ ratione has opes poſſitis transferre, *diu. Oe.*
quis eas portet, quis illuc ſcandat? & quaſi in- *cti.*
terrogantes, id quod tam difficile erat ſapientiſ-
ſimo Salomoni: *Quis aſcendit in cælum.* Idem *Prou.30.*
Chriſtus id vobis expoſuit, dum ait, pauperes *4.*
eos eſſe, qui cunctis veſtras opes eò tranſponent,
& hoc ipſum vult alio loco intimare, dum de-
clarat, id quod hic dixerat: *Date eleemoſynam.* *Luc.12,*
*Facite vobis ſacculos, qui non veteraſcunt, theſau-* *33.*
*rum non deficientem in cælis.* Date eleemoſynam,
veſtras reponite diuitias inter manus pauperum;
eas hi in cælum tranſportabunt.

Ita hoc exponunt D. Baſil *a* D. Chryſoſt. *b* *a Hom.13.*
D.Gregor. *c* Quinimò & in praxi voluit Chri- *ex variis.*
ſtus illud indicare,ſed non intelligebatur vt nar- *b Hom.5*
rant Euangeliſtæ. Accedit Adoleſcens diues val- *ad pop.*
de, Chriſtum interrogat: *Magiſter bone, quid* *c lib.18.*
*faciendo vitam æternam poſſidebo?* Ait illi Ieſus: *mor.c.12.*
*Serua mandata.* Replicat ille: *Hæc omnia cuſtodiui* *Matth.*
*à iuuentute mea.* Volo autem ſalutem animæ meę *19.17.*
reddere ſecuriorem,& vlterius proficere. Reſpon- *Marc.10.*
det Chriſtus: ſi hoc intendis: *Vade & vende* *21.*
*omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis* *Luc.18.*
*theſaurum in cælo.* Hæc audiens adoleſcens at- *22.*

bitratus

bitratus eſt, Chriſtum velle, vt omnia ſua perderet, & illis orbatus pauper remaneret, & omnium indigus, hinc contriſtatus eſt valde, & totus melancholicus, terga vertit & abiit. O ſtulte, clamat D. Baſil. ad vltima verba non attendiſti, ſicut ad prima. An non capis, quòd ipſe tibi minimè dixerit, da pauperibus bona tua, vt ea perdas, ſed potiùs vt ea conſerues ſecurius, & habeas ditiſſimum theſaurum in cælis aſſeruatum: *Et habebis theſaurum in cælo*. Vide modò, quàm malè intelligas (ait D. Baſil.) id quod tibi dixit, vade opes tuas da pauperibus: ſonat enim tibi, quod velit datum à te pauperibus, perditum iri. Certè hinc parum liquet viua fides tua, quam ſi haberes, cognoſceres clariſſimè, id quod tibi Chriſtus conſulit, non malè impendi, quod pauperi tribuis, ſed illud tibi reddi ſecurius. Certò denique ſcias, id tibi ſolummodo remanſurum, quod pauperi fueris elargitus, reliquum verò tibi non proderit, ſed filiis tuis, aut heredibus, aut latronibus.

Ser. 45. Hanc rationem (dicit D. Auguſt.) voluit D. Paul. proponere diſcipulo ſuo Timothæo, quando ei mandauit, vt cum rigore diuitibus præciperet, vt darent eleemoſynas, & ex bonis ſuis diuiderent pauperibus hilariter & libenter, nullam opponentes difficultatem, nec trahentes moram, ſed largâ, celeri, leuique manu exporrigerent. *Diuitibus huius ſeculi præcipe &c. facile tribuere communicare.* O Apoſtole Sancte, quid vis, vt illud cum rigore præcipiatur? Contentus eſſem, quod me rogante, & ab ipſis genibus flexis pauperibus mendicantibus, darent eleemoſynam. Quid vt eis hoc præcipiam ais? Amplius, an præcipis, vt ipſi ſuccurrant, dent eleemoſynam, bona ſua diſpertiant hilariter, ſtatim & leui manu? Sufficeret mihi, ſi facerent etſi malâ voluntate, & vi quâdam ad hoc coacti.

1. ad Tim. 6.17.

V. Diuitibus cur præcipiendum, vt dent eleemoſynam.

Nequaquam, replicat D. Paul. quinimò volo, fiat illud, quod iniungo. At quomodo hoc exequar? Expone illis Euangelicam veritatem, quòd id, quod pauperibus largiuntur, xenodochiis, viduis, captiuis, ſibi in commodum erogent, & illo modico, quod indigentibus diſtribuunt, ſecurum ſibi cumulent theſaurum firmatum & bene fundatum: proinde ſicut ipſis præcipis, vt ſibi proſpiciant, ita & eis iniungas, vt pauperibus proſpiciant, & hoc eſt ſibi proſpicere. *Theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum* Perpende illud *theſaurizare ſibi*. Videtur Chriſtus in memoriam reuocare id, quod Spiritus ſanctus dixit. *Benefacit animæ ſuæ vir miſericors*: qui dat eleemoſynam, ſibi & animæ ſuæ benefacit. Sed quomodo non benefacit pauperi? non ſubleuat eius inopiam? id quod dat, an non cedit in beneficium eius, cuius occurrit indigentiæ? Equidem, verumtamen eo ipſo magis cedit in beneficium tuum, quòd ſi pauperi dediſti, quo corporalis eius paupertas ſubleuetur, theſaurizas animæ tuæ theſauros æternos & inæſtimabiles, & neceſſitati animæ tuæ ſpirituali remedia concilias: cum eleemoſyna maximè ad hoc conducat.

Vide tom. 2. nu. 489. 490. Prou. 11.17.

Vide to. 2. nu. 490. vſque 521.

## §. 18. *Poſuit Deus pauperes in vectores diuitibus. Dixit hoc S. Franciſcus, quod & Sancti agnouerunt.*

EX hac doctrina colligunt SS. Baſil. *a* D. Chryſoſt. *b* D. Auguſt. *c* D. Petr. Chryſol. *d* 39

Rationem cur Deus pauperes, & quidem tot in hoc mundo poſuerit. Aduertit Theodoret. *e* fuiſſe quoſdam infideles, qui crederent Deum non habere prouidentiam, nec regimen huius mundi: ſi enim hoc eſſet, quomodo poſſet fieri, id quod paſſim videmus, aliquos ita diuitiis onuſtos, vt eas ferre non poſſint; alios verò adeo omnium inopes, vt quod ori apponant, non habeant. Deus iuſtus eſt, & iuſtitia ſeruat æqualitatem. Quis ergo credat terræ rectorem, vbi tantus eſt iuſtitiæ defectus? O ſtulti, quàm ignorantes! Potius hoc optimo conuenit mundi regimini, & Deus ipſe eſt, qui in illo diuites creat & pauperes. Ita teſtatur Spiritus S. *Diues & pauper obuiauerunt ſibi. & vtriuſque operator eſt Dominus.*

*a Hom. 6. in diteſc. b Hom. 27. ad pop. c Ser. 25. de verb. Dom. d Serm. 7. & 8. e Serm. 6. de prouid.*

Prou. 22. 2.

I. Pauper & diues obuiantes ſibi.

Poſuit pauperes, vt diuitibus obuiarent. Poterat equidem facere, vt omnes diuites fuiſſemus, vel qui iam pauperes creabat; potens erat illos alere ſine diuitum auxilio, ſicut Iſraelitas in deſerto manná; miniſterio Angelorum, & Eliam per coruum: habet enim manus adeo rebus omnibus plenas, vt illas aperiendo, impleat omne animal benedictione. Verùm enim verò voluit, vt pauperes ad diuites recurrerent, ad victum ſibi quotidianum conquirendum, & illis obuiarent ad eorum vtilitatem: quâ ratione Deus magis in hoc prouidit diuitibus (teſte D. Chryſoſt.) quàm pauperibus: *Magis propter dantes, quàm propter accipientes*. Volebat enim diuitibus procurare vectores, vt haberent quibus ſuas opes, & theſauros ad cælum tranſmitterent. Quid cogitas (petit D. Petrus Chryſol.) eſſe pauperes? *Vectores theſaurorum tuorum in cælum*: quos D. Auguſt. nominat *laturarios*, id eſt, portatores ſiue vectores.

Serm. de eleemoſ.

Serm 8.

Tom 10. ſerm. 50. de temp.

II. Pauperes vectores, ſunt pos-

Quando Princeps migrare debet de loco in locum, quid ageret ſi non haberet muliones, ve-

tatores theſaurorum.

ctores, aurigas, qui ſarcinas & vaſa tranſueherent, & neceſſaria hinc illuc tranſportarent? Hæc tibi ſit ratio, cur tot ſint pauperes in hoc mundo. Doctrinam hanc docuit terreſtris ille Seraphim S. Franciſcus, de quo refert eius filius legitimus S. & Seraphicus Doctor Bonauentura, quòd qui religionem ſuam erexerat & fundauerat in altiſſima paupertate, fratribus ſuis hoc ſoleret intimare; *Filioli mei: cur, creditis quòd in hac vltima mundi ætate nos Deus elegerit, volens nos viuere pauperes, panem noſtrum oſtiatim mendicantes, eleemoſynam rogantes? Cogitatis quod pro nobis? Neutiquam.* Multa enim Deo ſuppetebant media quibus nos aleret, & facillimum erat ei nobis fruſtum panis elargiri, cum nobis proprium ſanguinem & carnem conceſſerit; ſed in totius mundi profectum, & copioſum hominum prouentum; vt nos ipſos quotidie ad eorum portas illis offeramus, vt vectores ſuorum bonorum, & ea ex hoc mundo in cælum deferamus, & mediantibus nobis illa inter Chriſti manus ipſi conſignent, in quibus ea reperient poſtquam hinc emigrauerint. Audite modo eum loquentem: *Ite, quoniam hac nouiſſima hora Fratres Minores commodati ſunt mundo: vt electi in ipſis impleant, vnde à iudice commendentur, illud audientes ſuauiſſimum verbum: quamdiu feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis &c.*

D. Fra. *In vita S. Franciſci c.7.*

Ecce quomodo excipiendi ſint Religioſi, qui accedunt domos veſtras, & quâ ratione pauperes oſtiis veſtris ingemiſcentes: Videtur enim vobis, quòd in commodum ſuum veniant & vt illis ex bonis veſtris largiamini: procul abſit: veniunt autem non ſibi, ſed vobis à Deo mittuntur ad veſtrum emolumentum. Sic de pauperibus viri ſanctitate celebres æſtimabant, viuâ fide illos contuentes, proinde illi ipſi pauperes quærebant, quaſi in eo lucrum ſpectantes, vt vellent pauperes, eorum theſauros acceptare. Ad rem valde congruenter conſiderant D. Chryſoſtom. *a* & D. Ambroſ. *b* anxiam Abrahæ ſollicitudinem, quâ pauperes inquirebat. Numquam pauper quiſpiam adeo ſollicitè diuitem quæſiuit, vt ab eo eleemoſynam acciperet, ſicut ille pauperes, vt illis quid largiretur, in via conſiſtens illorum præſtolatur aduentum, quâ patebat tranſitus, Aduentantium pedibus prouolutus ſupplicabat, vt ſibi in eo gratificarentur, ſi dignarentur domum ſuam ſubire, ac gratum habere, id quod in ea maximè guſtui foret acceptum, maximè pingue. Sciebat enim vir pius, quòd maiorem ſibi gratiam præſtarent pauperes recipiendo, quàm ipſis ille, erogando. Hoc idem præſtitit nepos eius Lot ad portas ciuitatis anhelus exſpectabat, & genuflexus inſtabat, ac rogabat, illis gratum accideret in domo ſua hoſpitari. Erant ambo hi patrueus & nepos ditiſſimi ac nobiliſſimi, & eo modo pauperes excipiebant. Ita vt (ſicut notat Origen. perpendens hæc D. Pauli verba: *Hoſpitalitatem ſectantes.*) Illimet obuiam currerent, & pauperes inſequerentur, hoſpitalitatis gratiâ, vtque illos in domum reciperent, magis quàm ipſi, pauperes illos ſectarentur. Magni facit D. Paul. pium ſpiritum illorum primitiuorum fidelium Corinthiorum, quod quiſque accederet, & quaſi humi proſtratus illos deprecaretur, quatenus apud illos diuertere dignarentur, & circa hoc orta eſt quædam contentio inter diuites, quis eorum pauperem ſecum in domum adduceret, vt menſæ ſuæ alendus accumberet.

*a Hom 7. in Luc. & ſer.31. in Epiſt. ad Rom.*
*b Lib 1. de Abraham c.5.*
*Gen.18.*
*Gen.19.*
*Lib.9 in c.12. ad Rom.*
*Rom.12.*
III. Corinthiorum feruor in eleemoſynis
1.Cor.11. 12.

Hinc primi illi Macedonienſes Chriſtiani, ipſo D. Paulo referente, Apoſtolum inſtanter, humiliter & mille votis obſecrantes vrgebant, vt dignaretur eorum bona recipere pauperibus in eleemoſynas diſtribuenda, quos ſanctos nominabant, eò quòd perſonam Chriſti repræſentent. Do vobis eius teſtimonium: *Cum multa exhortatione, obſecrantes nos gratiam & communicatione miniſterij, quod fit in ſanctos* Expende verbum illud, *obſecrantes.* Id eſt: ponentes interceſſores, Chriſti Domini paſſionem, ac Dei miſericordiam. Sed omnino planè contrarium modò conſpicimus euenire, rogat, ſupplicat, obſecrat pauper, interponens Chriſti paſſionem, crucem, ſanguinem &c. Habebant autem illi fidem magis viuam, quâ cognoſcebant, magis cedere in eorum emolumentum, dare eleemoſynam, quàm ipſis pauperibus eas acceptare. Quid egit Iob miſericordiæ ac patientiæ ſpeculum? Quid Paulus, quid Rex Franciæ Ludouicus, & alij de quibus alias? Hinc rectè concludimus idcirco Deum creaſſe pauperes, vt eis detis bona veſtra, non vt ea perdatis: quin potius, vt eadem in cælum vectores hi deferant, & intelligatis id quod noſter Hiſpanus S. Laurentius dixit Tyranno: *Facultates, quas requiris, in cæleſtes theſauros, manus pauperum deportauerunt.* Verum enim verò, cum poſſit tibi dubium oriri, an ſecurè pauperibus poſſis bona tua commendare, Deus tibi affirmat (ait D. Petr. Chryſol.) & oppignorat verbum ſuum, quòd eo ipſo, quo eleemoſynam tuam tradis manibus pauperum, tibi concedat hoc idem à tempore receptionis, in manus ſuas recipi: *Nemo de fraude baiulorum dubitet; nec timeat, tuta eſt iſta tranſuectio, Deo fidei iuſſore* repor-

*Vide infra 2.ad 2.Cor.8. 4.*
*Tract. 3. in ...*
*D.Lu...*
*Serm...*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*reportatur.* Iam ex nunc dedit nobis ſcedulam,
quâ ipſemet fatetur eius receptionem, quando
Matth. dixit: *Quamdiu vni ex minimis meis feciſti, mihi*
25.40. *feciſtis.*
Hom 5. de An non audiſtis (interrogat D. Chryſoſt.) id
pænit & quod Dauid de Deo eſt locutus: quòd *aſtitit à*
in Pſ. 48. *dextris pauperibus.* Ibi eſt à dextris pauperis:
Pſal 108. quia ſi tibi videtur, quòd ſicut vides, quòd ille,
31. qui à te petit opes ſuas, vt talis, non poſſit te ſe-
IV. curum facere, vt illi eas confidas, eſto ſecurus,
Deus ſtat cum illo adſtat ipſe Deus, qui fatetur & cautio-
à dextris nem præſtat à tempore receptionis, tibique di-
pauperis. cit (vt acutè notat S. Doctor.) *Non credis huic
per inopiam? mihi per diuitias crede: ſemetipſum
dedit pignus.* Hic ô Chriſtiani (clamat D. Petr.
Chryſol.) fides eſt exercenda, quâ credas manus
pauperum, manus eſſe Chriſti noſtri Saluatoris,
qui adſtat à dextris pauperis, id, quod das pauperi
recipiens. Hoc ſolum, quod his in manibus tra-
Hom 6. dideris (teſte D. Baſil.) tibi remanebit, cætera ve-
& 7. in rò, ſi non ſint in damnum tuum, certum eſt quòd
diuitſen. non erunt tibi in ſalutem, cum te moriente, ne
hilum quidem tecum auferes eorum quæ poſſe-
Iob 27. 19. deris; non enim mentiri poteſt, qui ait: *Diues cum
dormierit, nihil ſecum auferet: aperiet oculos ſuos,
& nihil inueniet. Apprehendet eum quaſi aqua, in-
opia, nocte opprimet eum tempeſtas.* Exemplo tibi
ſit auarus ille diues Epulo, qui nec guttam aquæ
reperit, & æternum ſitiet adeò eius indigus, vt
Vide tract. numquam ſit illam accepturus. Finem impona-
1. p. 4. nu. mus conſilio Spiritus ſancti: *Propter mandatum
472. aſſume pauperem, & propter inopiam eius, ne di-
Eccli 29. mittas eum vacuum.* Eſto ſollicitus, ô diues, cu-
12. ram gere pauperis: hoc enim ſignificat: *Aſſume
pauperem.* Primò: quia hoc tibi mandat Deus:
ſecundò: ob eius inopiam.

Aduertit Ianſenius Gandenſ. Epiſc. hoc loco:
bene textum inſpiciendo, non eſſe legendum (*eius*)
ſed abſolutè, *propter inopiam*: q. d. Hoc tibi per-
ſuade, te pauperi largiri eleemoſynam, vt euites,
& liberes te ab inopia, tibique proſpicias in tem-
pus neceſſitatis; inſtante namque neceſſitatis ho-
râ, ne te lugeas, cum virginibus fatuis, non habe-
re, vnde lampadem tuam accendas, & ad eas re-
dactum anguſtias, quas diues paſſus eſt epulo, qui
ſi mendico Lazaro vel hilum viuens dediſſet, hoc
mortuus inueniſſet, ſed qui Lazaro micas panis
V. auarus negauit, guttam aquæ ſitibundus petiit,
Sibi be- ſed paſſus repulſam non obtinuit. Tibi ipſi pro-
nefacit des, quàdo eleemoſynam das pauperi, multò ma-
vir miſe- gis, quam illi: *Benefacit animæ ſuæ vir miſericors,*
ricors. ait Spiritus S. At ex Hebræo legitur: *Retribuit
animæ ſuæ vir miſericors*: In animæ tuæ ſalutem
tribuis, quando pauperi benefacis, factus illi mi- magis
ſericors. Optimè S. Tobias hoc intellexit, cuius quam
conſilium, tanquam ſenioris & ſanctioris viri, eſt pauperi.
attendendum. *Quomodo potueris, ita eſto miſeri-* Prou. 11.
*cors. ſi multum tibi fuerit, abundanter tribue. ſi exi-* 7.
*guum tibi fuerit, libenter impertiri ſtude; præmium* Tob 4. 8.
*enim bonum tibi theſaurizas in die neceſſitatis.* Vos
quibus multum eſt, multum date. Credis forſan,
ô diues auare, cui gurgitant opibus arcæ, Deo te
ſatisfacturum fruſto panis corroſo, & ſemicor-
rupto, an veſte detritâ? ſi parum tibi ſit, libenter
da, deſiderans, poſſe plura præſtare, vt vidua E-
uangelica: non tibi dies prætervolet, quo non
aliquid largiaris; theſaurizas enim tibi in diem a Habetur
neceſſitatis. Hoc bene declarauit S. Ioannes cog- in eius
nomine Eleemoſynarius, a illo pane, quem alter vita apud
in pauperem fremens proiecit, cum in faciem Sur 23.
eius defigens, nihilominus, hoc ei profuit, vt Ianuar.
non damnaretur. Cum vero hanc materiam alias & tract.
latè pertractauerimus, his ſuperſedemus. 2. n. 531.
Tract. 2. p.
2. per tot.

### §. 19. *De Cineribus inſurgunt in nobis anxiæ ſollicitudines, quæ à ſomno excitent, vt muſca Ægyptios.*

VT nobis auxilium præſtet S. Eccleſia, illud 41
agendi, quod Deus à nobis expoſcit, vtitur
hac ſolemni ceremoniâ, quam modo vidi-
mus, capitibus noſtris cineres imponens, vt no-
bis etiam inuitis ibi maneant, & vſque ad inti-
mum cordis peruadant, cogantque nos de eis co-
gitare, eoſque tangere. Ex diuina ſapientia pro-
ceſſit, quod Moyſes egit cum Pharaone & Ægy-
ptiis. Erat cor Regis huius obduratum adeo, vt
Deum non curaret, præceptis eius non obediret,
eius verbis aurem ſurdam præberet, & commiſ-
ſiones, quas ex parte Dei percipiebat, eluderet.
Accipit Moyſes (iubente Deo) virgam illam pro-
digioſam, quâ ſuas omnes dirigebat actiones, eâ-
que terræ puluerem percutit; & ecce, vt terram
tetigit virgâ, emergunt infiniti muſcarũ ac ſci- Exod. 8.
niphũ exercitus: *Omnis puluis terræ verſus eſt in* 17.
*ſciniphes.* D. Aug. a ſecutus Philonem b & Orig. c a Lib. 3 de
opinatur ſciniphes ſpeciem quandam crudelium Trin. c. 7.
muſcarum, quæ ſuo ſtrepitu, & aculeo acutiſſimo & ſer. 87.
illos requieſcere non ſinebant, vel ad momen- de temp.
tum, itaque contigit, vt è cineribus excitatæ mu- b Lib. de
ſcæ, tam acriter eos pungerent, ac tot aduolarent, vita Moy-
vt nec Regi, nec cuiquam ex eius domeſticis, aut ſi.
aulicis, quinimò nec totius Ægypti vlli homi- c Hom. 4.
num concederent vel ad horam dormire aut vllo in Exod.
loco quietum conſiſtere, aut oculos in ſtrato ia- 1.
centi occludere. O terribilis virgæ ictus in terræ Pharao

Muſcas de cinere excitatas excitamur.

puluere, quàm efficax ad producendum pungentes muſcas, quæ ſomnum impediant & ſuſcitent profundiſſimè ſoporatum.

Eccleſia Sancta Mater intuetur nos, vt alto ſopore grauatos, Dei oblitos, noſtræ ſalutis, quinimò & noſtri immemores, qui neque Deum audimus, neque eius legem ſeruamus, & vt alter Pharao, eius voces nihili facimus, prædicationes ridemus, nuntia ex parte eius nobis inſinuata in tergum reiicimus. Quid remedij? Hoc eſt agendum, virgâ terræ puluis percutiatur, virgâ actionum noſtrarum directiuâ: Quæ eſt (amabo) hæc virga? intellectus veſter; hic eſt per quem anima ducit, regit, & ſuas gubernat actiones. In hoc vos maximè eſtis infelices, quòd virgâ hac vix vnquam terræ puluerem percutiatis. Aliquando virgâ hac aurum percutis, conſideras, & perpendis, quâ ratione diues euadas. Iterum & dignitates, inquietus quibus mediis ad eas ſis aſcenſurus. Item & delicias, perſcrutans quomodo illas obtinebis. Iterum venuſtam faciem eius quam heri intuitus es, & pulchritudinem eius, cui hodie occurriſti. Conſultum (crede mihi) foret, vt aliquando virgâ intellectus tui terræ puluerem concuteres, conſiderando ſubſtantiam tuam, te puluerem eſſe, & in puluerem reuerſurum.

II. Virga Moyſes eſt intellectus.

III. Terra virga percutienda eſt.

O ſi nunc terram percuteres, meditando, quod paucis ab hinc annis, aut menſibus, quinimò forſitan diebus, vel horis hoc tuum corpus modò ita farcinatum, adornatum, veſtitum, deiicient in ſepulchrum planè nudum, ſolo vili linteamine coopertum, quòd terrâ recondent, ligone percutientes oculos iſtos, quos tanti facere conſueuiſti: quod facies illa, quam tam inaniter ſtibio perliniſti, erit puluere lurida, vermium eſca, propediem in puluerem lutumque reſoluenda! Anima verò veſtra, præceps rapta, & ad Dei iudicium producta, ſupremo illi aſtabit tribunali, de quo non licet appellare, vbi accuſatores dæmones, erunt præſentes velut leones, vt eam ſibi in prædam diripiant, & ſecum ducant æternis pœnis affligendam. Quod inſuper & hæc bona veſtra, veſtris ſunt heredibus permanſura, qui tui non magis recordabuntur, ac ſi numquam vixiſſes, ſed eorum quiſque tantò erit hilarior, magiſque tui immemor, quò ei pars tuorum bonorum ſorte maior obtigerit.

O ſi cogitares aliquando ad tales te redigendum anguſtias, in quibus tibi non poſſint amici eſſe ſubſidio, & quod in terris remanſura ſit pecunia illa tam diligenter aſſeruata, domus tam ſumptuosè ædificata, porticus & deambulacra tam ſtudiosè erecta, & te maneat æternitas, quam ingrederis, ſola tecum bona tua opera educens, dubius quæ tibi ſors ſit obuentura. Non percuſſiſſe eo modo terræ puluerem, cauſſam dedit profundæ ſocordiæ cuidam malè ſano diuiti, cuius hiſtoriam tot circumſtantiis expoſitam narrat D. Lucas circa quas multa dixerunt D. Aug. a D. Gregor. b ſed particulariter D. Ambroſ. c de verbo ad verbum parabolam explicans & ante omnes D. Baſil. d *Homo quidam erat diues*, ait Chriſtus cui horrea erant turgentia fructibus anni præcedentis, & agri adeò frugiferi, vt quò fructus reciperet, prorſus ignoraret.

a Serm. ... b Lib. ... c Serm. ... d Hom. ... in Diu.

Cubito innixus cogitare cœpit. O me diuitē, quanta domus meæ abundantia, crepant horrea frugibus, quæ erexi, non capiunt vinum cellaria, noua ac maiora ſunt erigenda. O quantis affluo bonis! O quam bene his omnibus munitus? *Anima habes multa bona, repoſita in annos plurimos.* Nihil timendum, nullius rei te premet defectus. Eia age, gaude, bibe, epulare, lætos duc dies, nulla te affligat ſollicitudo. O vecors, ô ſtulte; quid tot ictus tui intellectus virgâ, das tritico, vino, rerum affluentiæ, diuitiis, voluptatibus, vitæ longiori? melius tibi conueniebat percutere puluerem, cōſiderando, quòd in momēto poſſis emori; cum autem ipſe non percuſſerit, percutit Deus, qui ait: *Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te, & quæ paraſti, cuius erunt.* O ſtulte, inſipiens, fatue, quid tam incurius viuis eius quod es, & tam pronus rationi incundæ vitæ ad multos annos, qui adhuc longè diſtant, ſed nec eos videbis; & tam parum anxius de morte, quæ tibi proxima imminet: hac enim nocte tibi extrahent animam tuam, & ſecum rapient cacodæmones infernales. *Et quæ paraſti* (ô infelix) *cuius erunt?*

Heu quàm multis hoc accidit! quam ſæpius alter ſtrato ſuo recumbens ratiocinatur, de proſpero rerum ſuarum ſucceſſu: diſponens pro hoc anno & ſequentibus, tam mortis oblitus, quaſi immortalis, & tam ſuper ſecurus, quaſi fœdus cū morte & ſepulchro percuſſiſſet, ſimilis eis, de quibus refert Iſaias, qui affirmare auſi ſunt. *Percuſſimus fœdus cum morte & cum inferno fecimus pactum.* O pauper, quis tu? caue, ne, quod poſſibile eſt, hac nocte hinc improuiſus rapiatis. *Et quæ paraſti, cuius erunt?* Inquirit Rex Dauid quæ poſſit ſubeſſe cauſſa, quòd viuant homines tam ſocordes, prorſus immemores Dei, diuinæ legis, & ſuiipſius, ſtudentes ſolis deliciis, voluptatibus laſciuiis & huiuſmodi bonis. Fusè circa hoc diſcurrens, ait: *Non eſt reſpectus morti eorum:* Legit D. Hier. *Non recogitant de morte ſua.* Expende verbum hoc (*recogitant*) quod ſignificant ex profeſſo, ſemel, Noua...

Iſa. 28. 15.

Pſal. 72. D. Hi. ...

morū obli- uio ſo- cordiæ mater. ſemel, & iterum cogitare: O qualis orietur fru-
" ctus ex *cogitare, & recogitare de morte*: cogitare
" & continuò vitæ noſtræ finem meditari, mortis
" anguſtias perpēdere Hæc enim cogitatio homi-
" nem ſubdit Deo, vt alterum Sennacherib Ex qua
Iſ.75. 11. prouenit, vt qui hac occupatur, feſtum diem agat
" Deo, id eſt, pœnitentiā: *Reliquiæ cogitationis diem*
a Hom. 3. ad pop. ant. " *feſtum agent tibi.* Conſiderat D. Chryſoſt. a quod
licet nihil magis ſit in ore hominū, quam mors,
nihil tamen ſit, de quo minus attentè, & ſincerè
cogitetur. Licet videre, quòd perpetuò tractent
oretenus de morte, quando matrimonia ineunt,
contractus matrimoniales componunt, quod maximi
gaudij tempus eſſe conſueuit; ad ſingula
verba mors occurrit; & in tali caſu ſic diſponunt;
ſi maritus primò obierit, ſi vxor, ſi primogenitus
diſceſſerit, ſi natu ſecundus, ita vt (ait ille) filiis
nondum viuentibus, ſed nec conceptis de eorum
agatur obitu Verum hæc omnia dicuntur oretenus,
nec ſincerè aut attentè perpendunt eam vt
ſibi vicinam, & quæ eos verſâ chartâ retro præſtolitur,
vt hinc abripiat minus de illa cogitantes,
& imparatos: *Non recogitant de morte.*

Hinc oritur non timere mortem, differre pœnitentiam,
radicem ſeu ſedem hic in terra figere.
Percute intellectu tuo puluerem, & ecce quot emergent
curæ, quæ tibi ſomnum excutiant Contigit
autem hoc Dauid An non vides eum adeo
vigilem, vt primus excitetur de ſomno & præue-
Pſal 76.5. niat ipſos vigiles? *Anticipauerunt vigilias oculi
mei.* Plus ego vigilabam, quam ipſi quibus ex officio
vigilias agere incumbebat. Videamus modò,
ô Rex piiſſime, quis te excitauit? quæ curæ tibi
ſomnum impediuerunt? illæ fortè quas ſecum
trahit regni totius gubernatio? Hæc enim ſine
dubio Regibus permoleſta An forſan hæc ſollicitudo
filios veſtros tangebat, intelligens eorum
vitam diſſolutam, aut filias tuas anxius de earum
cuſtodia, & certa collocatione? Nihil horum; quę
ergo? Expergeſecit me timor adeo vehemens, vt
mihi adimeret loquelam, & vt attonitum ſu-
Pſal 76.5. ſpenderet *Turbatus ſum & non ſum locutus.* At
quis ille terror? Num forſan alicuius exercitus
copioſi, qui ciuitati tuæ imminebat, aut hoſtis,
qui tibi bellum parabat indicere? Nec hoc: ſed
ex alia naſcitur cogitatione. Et quę, obſecrò, hęc?
*Cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente
habui.* Ad memoriam cœpi, reuocare præteritos
annos, & eam, quæ reſtat, æternitatem.

Multa de præcedentibus diebus mente reuoluebam,
ex quo tempore mundum Deus condidit
ex nihilo, perpendens tot populorum diuerſitatem,
qui omnes perierunt, & hinc diſceſſerunt.
Vbi, quæſo, famoſiſſimi illi gigantes, qui ſolâ ſuâ
præſentiâ hominem deterrebant? Quid actum
de tot illuſtribus viris, qui prima iecerunt fundamenta
tot familiarū toto orbe celeberrimarum?
quis mihi oſtendat potentiſſimos illos Monarchas,
qui ſuâ & auctoritate & nomine mundum
implebant vniuerſum? Quid modò tot tantique
fortiſſimi Duces, ſuis ſtipati exercitibus, & his
adeo numeroſis, vt arenæ maris compararentur?
Quis nunc videat mulieres ob corporis venuſtatem
& faciei pulchritudinem notiſſimas, quæ ab
omnibus prudentiſſimæ æſtimabantur? Euanuit
totū, inſtar pulueris, idemq; de me breui futurū,
ſum auguratus. Demum conuerti mentem meam V.
ad futura, & ſine fundo mare cōtueor & abyſſum, Mundi
nec finem, annos æternitatis, qui me manent; vel vanitatis
æterna cum Deo, & Angelis eius gloria in regno conſide-
cæleſti, vel pœnæ æternitas, cum Lucifero & ratio vti-
dæmonibus in puteis ſeu carceribus ſempiternis. liſſima.
Egóne ille, qui tale ſubeo periculum, in quo me
breui deprehendendum ſine remedio perhorreſco?
Gloria æterna, aut pœna æterna: quomodo
dormio? quomodo quieſco? quomodo rideo?
quomodo delector? quomodo me non totum
abſumit anxia ſollicitudo? Hoc me (ait Dauid)
habet vt attonitum, vt turbatum, vt neſcium loqui:
*Turbatus ſum & non ſum locutus.*

Hæc te, ô chariſſime, expergefaceret anxietas,
ſi (vt docet D. Baſil.) oculos tuos ad annos præteritos
reflecteres, ſed nec neceſſarium eſt recurrere
ad annos antiquos, peruolando, priſcos illos
Monarchas Chaldæorum, Babyloniorum, Medorum,
Perſarum, Græcorum & Romanorum, quos
non vidiſti: iam enim tibi liquet, quam latam de
his poſſes inſtituere meditationem, ex iis quæ legiſti
in hiſtoriis exarata, ea ex Propheta Baruch
colligendo: *Vbi ſunt Principes Gentium, & qui* Baruch 3.
*dominantur ſuper beſtias, quæ ſunt ſuper terram?* 16.
*qui in auibus cæli ludunt, qui argentum theſaurizant,
& aurū, in quo confidunt homines* &c. Quid
actū de illo Nemroth, qui tyrannicis ſuis actionibus
quoſcumq; ſuæ ſubiiciebat ſeruituti? Hic ille
qui cælo bellum parabat, quinimo debellare ſtatuerat,
excelſam illam, cælū verſus, turrim erigēdo
Quid illa celebris Semiramis fundatrix murorū
Babyloniæ, quos ſpectaculū propoſuit orbi
vniuerſo? Quid Cræſus innumeris & interminis
diuitiis ſatur, ſi ſatur? Quid Alexander Magnus
ſuis tot præclaris triūphis inclytus, cui ſeſe quaſi
in momento ſubdidit mundus? Quid Cæſares
voco, quos vocant inuictos? Imperatores auguſtos?
*Exterminati ſunt & ad inferos deſcenderunt.*
Verùm horum euentus præteri velut antiquos,



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

quos à longè minus dignoſces. Cogitatio tua modernos annos percurrat, & ea quæ oculis tuis, diebus vitæ tuæ, ſpectator conſpexiſti; Quot enim viros ditiſſimos noſti, potentes, ſanos, proſperè agentes? Quot Principes, quot nobiles, quot dominos, quot dominas? quò deuenerunt? quò euanuit talis domicellæ leuitas, venuſtas, & grata ſodalitas, quæ totam recreabat ciuitatem, cuius gratiâ feſta, & torneamenta ſunt inſtituta? quò receſſit gratiſſima amaſiæ tuæ gratia, quâ omnium ſibi conciliabat affectum? Quò fugit Comes ille, quem in luctis & arundinibus videre, omnibus erat oblectamentum, qui equo reſidens curſu oculos præuolaret ſpectatorum? Vbi talis iudex conditus iacet? talis Prælatus, talis Canonicus? Vbi mercator, qui ob plurimas quas poſſidebat opes, digito ab omnibus deſignatus, ſuperbiit. Quomodò tacet modò ille Prædicator eloquentiæ flumen, Magiſter tam doctus? *Exterminati ſunt*. An aliter de vobis futurum, & in longum protrahendum, cogitatis ſperatis, confiditis?

43 Hæc verba, hi fuere diſcurſus noſtri magni Regis Philippi primi Aragoniæ, & ſecundi Caſtiliæ optime ex iuſtitia meriti nomine Prudentis celebrati, qui iure hoc loco memorari poteſt, & celeberrimis Eccleſiarum pulpitis prædicari.

VI. Philippi ſecundi Hiſpaniarum Regis ad filium vltima verba.

Huic Deus longos conceſſit annos, ſeptuaginta nempe duos, ad quos vixiſſe neſcimus Principem ex domo Auſtriaca quempiam, & perpaucos Monarchas poſt Dauid ad illos perueniſſe. Conceſſit autem Deus tanto Monarchæ tot vitæ dies, quia ſic beneficio Eccleſiæ ſuæ expedire iudicabat, cuius tam ſingularis vixit defenſor, vt cæteros omnes longè anteuerterit, Catholicos & Principes piiſſimos, quos mundus agnoſcebat. Circa finem vitæ, multis, magnis, moleſtis, & fœtidis morbis, oppreſſus decubuit; quòd ſi natura, verius dixero autor naturæ Deus, ei tot conceſſit annos, noluit eum mors ſolo proſterneret, niſi prius ei oſtendiſſet, Principes & mundi huius Monarchas tam pudendum & miſerandum ſortiri vitæ terminum, ſicut pauperrimus quiſque conſequitur: eum itaque tam vili & doloroſa ſanie oppleuit, vt omnia corporis eius membra, manantes iugiter fontes eſſe viderentur: Cui acceſſerunt multa alia & maximè dolenda accidentia: quæ omnia tali pertulit conſtantiâ & fortitudine animi regalis & pectoris tam Religioſi, quali præditum non ignoramus.

Verùm cum talis eſſet præſens eius calamitas, non tantum hæc ei dolorem inflixit, quantum apprehenſio futuri: ſuo enim viuaci acutoque iudicio meditatus, profundas iuſtitiæ diuinæ abyſſos: computus, quos propediem eſſet redditurus tot vitæ ſuæ dierum, tot & tam diuerſarum actionum, quales diſpoſuerat & mandauerat executioni, tot regnorum, populorum, Prouinciarum, quibus præfuerat, tantorum exercituum, quos conſcripſerat, tot bellorum, quæ fuerat aggreſſus; tot prouiſionum in Eccleſiaſtico & ſæculari ſtatu, quas fecerat; tantarum & tam variarum ſententiarum, quas erat executus: optabat, ſe potius pauperem ouium paſtorem prodiiſſe in lucem, quam Regem natum Hiſpaniarum, vel in iuuentute mortuum; ſatis clarè præ oculis demonſtrans: exiguam non eſſe probationem, Dei in hominem amoris, ſi eum maturè ex mundi huius periculis, & calamitatibus eripiat; licet totâ ſuâ vitâ pius, iuſtus, religioſus, & ſollicitus vixiſſet Princeps. Appropinquauit igitur hora, quâ ſacramentum reciperet extremæ Vnctionis, quæ fuit prima Septembris anni ſupra milleſimum, nonageſimi octaui, vt erat tam pius, religioſus, præcauens, & in omnibus ſuis actionibus prouidus & ſagax, vt eam reciperet, Archiepiſcopum Toletanum interrogabat formam & modum, quo illud Sacramentum aliis adminiſtratur: numquam enim occaſionem nactus fuerat, vt præſens adeſſet, dum alicui illud in extremis miniſtratur: ſuſcepit autem hoc Sacramentum magno feruore ſpiritus extraordinariâ pietate actibus Religionis ardentibus, valde conformiter ei quod ſemper oſtenderat. Aderat his omnibus præſens filius eius Princeps; accepto iam Sacramento iuſſit, vt omnibus foras ſecedentibus, ipſe ſolus cum eo remaneret, tum religioſâ conſtantiâ, & animo valde ſedato, erupit in hæc verba, æternâ memoriâ digniſſima. *Hæc mea fuit voluntas fili, vt hâc horâ præſens adeſſes, & qualis ſum intueteris, & qualiter receperim extremæ Vnctionis Sacramentum. Primò: ne tibi, quod mihi contingat, & quod ego ignoraui, tu ne ignores formam ſc. quâ hoc miniſtratur Sacramentum. Secundò: vt perſpicias quem finem accipiant totius orbis Monarchiæ, quis earum vltimus terminus. Ecce fili mi, qualiter me Deus omni gloriâ & Regiâ maieſtate denudarit, & vobis hanc conſignet inueſtituram. Infra paucas horas erit mihi pro his vile linteamen: hoc autem vnicum, quoad res temporales, mihi ſupererit, ex omnibus meis diuitiis, honoribus, & Regiis dignitatibus; quod abiecto ſum fune cingendus, quo in terram dimittar: iam nunc cadit de capite meo corona Regiæ Maieſtatis:*

hanc

*hanc mihi interueniente morte Deus tollit, vt tibi eam imponat. Et tandem decidet de capite tuo eadem quoque corona, ſicut modò vides mihi eam delabi, vt tradatur alteri. Iuuenis es: fui & ego, numerati ſunt dies mei, & iam completur eorum numerus: tuorum autem nouit Deus, & pariter finientur, nec tibi aliter ſuccedet, quam vides modo mihi contingere. Contemplatus hunc polum, rationes tuas dirigito, negotia tua componito greſſu tuos deducito, & vitam tuam inſtituito: in qua duo quaſi omnium curarum tuarum primiceria ſunt obſeruanda. Primum; vt lapis fundamentalis omnium tuorum bonorum ſucceſſuum, ſit erga Sanctam Eccleſiam Romanam Catholicam obedientia & erga ſummum Pontificem, vt eiuſdem ſupremum caput. Secundum: ſubditis tuis ſeruato iuſtitiam, & iuxta illam eos gubernato*, &c. O qualia verba, æternâ memoriâ & conſideratione digniſſima, & quæ ad viuum verbis demonſtrant, præter id, quod vobis præ oculis contingit, quàm parua ſunt hæc omnia, quàm cito pereant, etiam illa, quæ maxima, quæ ſolida, quæ ſolidè fundata eſſe videbantur. Vt verò veſter hoc conſideret intellectus, & capita veſtra ac frontes huic cogitationi applicetis, vt hinc in vobis naſcantur curæ & anxietates, idcirco capitibus veſtris cineres affricantur, quo hinc diſcedentes, hoc veſtrum caput cinere conſperſum & velut mortuum, cinerem huic quærat, illum offendat, ita vt velitis, nolitis, cogitatio veſtra cineribus occurrat; quod ſi tenuerint & fugerint, ipſi vos detineant, manu apprehendant, & ſecum rapiant, vt nolentes, volentesque de ipſis hoc cogitetis. *Puluis es, & in puluerem reuerteris.*

*§. 20. Omnia mors redigit in cineres, vt lapillus ille omnia metalla ſtatuæ Nabuchodonoſor.*

44. Dan. 2, 29. SÆpius facta eſt mentio viſionis, quam habuit Rex Nabuchodonoſor, quam narrat Daniel: Verumtamen tam profundis ſcatat myſteriis, vt ſemper noua detur reuelare. Erat magnus hic Monarcha in cubili ſuo noctu proſtratus, & cogitare cæpit de prædeceſſoribus ſuis, qualiter imperia ſua adeo extenſa & dilatata fundaſſent; quàm opulenti, quàm potentes, quàm fuiſſent honorati, & quomodo tandem eſſe deſiuiſſent: alij hoc modô, alij aliô, de quibus fusè narrant hiſtoriæ, tam ſacræ, quam profanæ. Ex conſideratione tam variorum euentuum, ortum eſt in eo anxium deſiderium ſciendi, qualẽ ipſe finem eſſet habiturus. O ſi vos hoc faceretis, & vos & omnes, quandò in cubilibus veſtris ſoli ſterteritis, ac ſeriò cogitaretis prædeceſſorum varios euentus, fineſque tragicos! O ſi tu circumires funeſtos ac infauſtos ſucceſſus & exitus huius mundi, quos perpendens ſubſiſteres in cogitando, & quis erit meus? cui ſudo? quid mea refert ſollicitum viuere de filiis, & mei obliuiſci? An melior forſan ſit mea ſors futura, quàm parentum meorum, aut atauorum? ſumnè alterius ab illis ſubſtantiæ? An hic perpetuò in mundo permanſurus? An ego mecum delaturus, id quod ipſi, quia auferre non potuerunt, hic reliquerunt? Hâc anxiâ ſollicitudine preſſus Rex, obdormiuit. Voluit autem Deus eius huic deſiderio ſatisfacere, & hâc celebri ſtatuâ quaſi ſtupendô Hyerogliphicô præſignare, hoc quod ipſe ſcire cupiebat. Oſtendit illi per ſomnium ſtatuam excelſam, aſpectu terribilem & portentoſam: *Huius ſtatuæ caput ex auro optimo erat, pectus autem & brachia de argento, porro venter & femora ex ære, tibiæ autem pedum quædam pars erat ferrea, quædam fictilis.* Stupet rex, rem videns tam nobilem in auro, tam diuitem in argento, tam ſonoram in ære, tam fortem in ferro. Videntur huic non poſſe obeſſe vllæ vires, nec quod eam demoliri valeat aut paupertas: aut neceſſitas, aut verſutia, aut violentia. Eâdem horâ ecce lapidem de monte præciſum ſine manibus, qui impingat in pedes ſtatuæ ex luto. Quid inde? aurum, argentum, æs, ferrum, omnia hæc ſubitò contrita, *& redacta quaſi in fauillam æſtiuæ areæ, quæ rapta ſunt vento*, vt ex his omnibus ne vel atomus ſupereſſet. Hoc viſo ita raptus, attonitus, & totus anxius Rex hæret, vt ei vires deficiant & eiuſdem viſionis penitus obliuiſcatur, ſolus eum detinet horror. *Conterritus eſt ſpiritus eius, & ſomnium fugit ab eo.* Adſunt diuini, aruſpices, magi, Chaldæi, nullus Regem ſolatur, quietat, aut petitioni ſatisfacit, donec veniat Daniel, hic Regi ſomnium indicat, & explicat ænigma. Quod ô Rex vidiſti, ſcito eſſe imaginem, per quam tibi voluit Deus oſtendere, hoc quod tantopere ſcire deſiderabas, quem ſis finem habiturus, & quid de te poſtmodum futurum.

I. Deſcribitur conſideratio Nabuchodonoſor.

Aurum, argentum, æs, ferrum, omnia in puluerem ſunt redigenda. Fieri ne poteſt? Fieri poteſt; omnia enim luto innituntur? nihil poteſt eſſe firmius eo fundamento, cui innititur: fundamentum horum omnium lutum eſt, & puluis, in quod hæc omnia ſunt redigenda, niſi in

puluerem? Noueris mundum hunc talibus plenum eſſe ſtatuis. Quid enim Princeps, niſi ſtatua vna grandis, qualem vidit Nabuchodonoſor? Caput ex auro optimo, eſt genus illuſtre, quod deſcendit ex Cæſaribus Romanis, Gothis ſeu aliis Principibus familiarum inclytis ac ſplendidis. Argentum ſignat diuitias, cenſus, iura, prouentus. Æs; famam, honorem qui toto reſonet orbe. Ferrum; potentiam, ſanitatem, vires. Cui vero cuncta hæc nituntur, niſi luto? *Memento homo.* Homo es; quid eſt homo, niſi lutum! Quid domicella niſi ſtatua viſu pulcherrima, nobilis, diues, diſereta, pulchra; verùm cui hæc innituntur, niſi vili luto? *Memento homo.* Quid eſt Archiepiſcopus, Epiſcopus & Prælatus niſi ſtatua gratiſſima, illuſtris in ſeruis, annulis, mitra, pectorali, baculo, veſtibus, auro, gemmiſque fulgidis. Cui hæc innituntur? luto. *Memento homo.* Aduerte autem in ſtatua hac lutum fuiſſe in pedibus, vbi minus videri poſſit, quod verò ſtatua euidentius oſtentabat, & cæteris præualebat, & quod primum ſpectantium oculis obiiciebatur, aurum erat, loco altiori, & omnibus ſpectabili. Argentum vero & æs, & ferrum paulo inferius, in pedibus autem lutum erat, vbi non videtur, niſi caput inclinaueris, & oculos deorſum deflexeris. Contuere, obſecro, mundi ſtatuas. Hoc quod minus cupiunt videri, lutum eſt, in quo tota hæc ſtatua fundatur, hoc eſt, ſubſtantia & eſſe hominis. Hoc quod alius appetit vt excellat, & videatur, eſt, quod ſit Princeps, Comes, ſapiens, Iudex. Videatur in alia, quod ſit Domina, nobilis, pulchra prudens, diues. Quod vero rarius nominatur, hoc eſt quod ſint homines, ex luto: quia ex luti maſſa fictus eſt homo. Clariſſimè hoc Dauid intellexit, vt notat D. Bernard. in illa petitione, quâ Deum obſecrabat. *Vt ſciant gentes, quoniam homines ſunt.* Quid hoc ô Dauid? quis eſt homo, qui neſciat ſe hominem; vult dicere: Domine Deus, quàm ſunt homines pauoni ſimiles, vanè incedentes, oſtentantes ſolas ſuas venuſtas, & gratiſſimas plumas, quas ventus in altum erigit, oculis hominum eas obiiciens. Hic iactat ſe Principem, ille Ducem: alius ſe comitem, alter ſe Gubernatorem. Hic Epiſcopum, ille Canonicum: hæc ſe dominam prætendit illuſtrem, famoſam, diuitem. An non efficies, Domine, vt oculos ſuos ad pedes deflectant, & eorum fundamentum addiſcant; *quoniam homines ſunt?* quoniam lutum ſunt, puluis, & cinis, & in ea baſi ſubſiſtat omnis illa venuſtas, diuitiæ, nobilitas, fortitudo; At de fundamento tam debili, quid ſperandum?

II. Viſio ſtatuæ declaratur.

Epiſt. 48. ad Henricum Senone. Archiep. Ep. Pſ. 9. 21.

Lapillus ſine viribus, *ſine manibus,* quem nemo proiicit, nec igne impulſus cecedit, vt glans ex ſclopo maiore, nec violenter ab aliquo emiſſus, vt ſagitta ex æreo arcu contorta; nec forti alicuius brachio proiectus, vt lapis ille quo Dauid fortiſſimum proſtrauit Gigantem, ſed ſine manibus, hic omnia hæc, in ictu oculi in cineres rediget, vt leui vento per aëra diſpergantur.

III. Lapis quidâ gnificet ſine manibus præciſus.

Nullum lego Hyeroglyphicum, inter omnia quæ ſapientes Ægyptij commentati ſunt, quod tam admirabili proprietate depingat id, quod deſiderabant, vt lapis ille mortem deſignat. Abſciſſus eſt de altiſſimo illo monte Adam; hinc proceſſit, ſicut dixit D. Paul. Et ſine manibus: illæ enim, quibus omnia condita ſunt, lapidem hunc, mortem dico, non fecerunt: *Deus mortem non fecit.* Continet & aliud myſterium, nobis indicans quod vt mors veniat, manus plurimæ non requiruntur, nec multi militum exercitus, nec multi gladij, ſeu lanceæ, ſeu bombardæ; licet enim nemo eam eiiciat, ſuâ venit ſponte mors. Quot ſingulis diebus morte abſcindi intelligis, quin & vides ſine manibus? vides adoleſcentem robuſtum, diuitem, in deliciis enutritum ſubito corruiſſe; quis hunc occidit? Vides aliam proſperè vigentem, cui deſeruiant famuli ſui, vt nihil illi deſit, heri vegeta erat alacris, viua & hodie mortua. Quis ei vitam abſtulit? quæris & petis, quis mortem adiecit? ſi ab hoc, ſi ab illo, & tandem non inuenies, quæ illam manus deiecerint.

Rom. 5. 12.

Sap. 1. 13.

Conuiuium celebrabat Rex Balthaſſar; ecce digiti manus conſcribunt mortis eius ſententiam: quâ viâ, quâ portâ (rogo te) ingreſſi? Non inuenies: Lapillus ille impegit in lutum, in hominis ſubſtantiam, qui ex eo, quòd ex luto ſit, mori debet: *ſtatutum eſt hominibus ſemel mori.* Omnibus Regibus, ſubditis, diuitibus, pauperibus, nobilibus, plebeis: Et eam eandem aſſignas rationem: quando admiratus concinis tui mortem, cauſſam inquiris, & poſt multa concludis his verbis: quid plura? homo erat. Lapis hic impingens in pedes luteos, & fundamentum euertens, omne quod ei nitebatur ſubitò redigit in puluerem, ſpargit in aëra, conuertit in nihilum: *Omnia redacta ſunt in fauillam, quæ rapta ſunt à vento.*

Dan. 5.

Ad Heb. 9. 27.

Quid actum de Chaldæorum nobili proſapia? quid de Medorum ac Perſarum infinitis diuitiis? quid de Græcorum admiranda ſapientia? quid de inuicta potentia & viribus Romanorum? quid de nobilium comica vrbanitate, de gratiſ-

gratiſſima domicellæ conuerſatione? Iam nunc videbis ea ex loco facta ſubitò vento in altum rapi, & in nihilum redigi.

Serm.48. ad fra. in Erem.

Deſcende (ait D. Auguſt.) ad ſepulchra iſta & vide, num aliquod poſſis iſtorum metallorum inuenire. Vide num poſſis diſcernere, quis nobilis fuerit, quis ditiſſimus, quis fortiſſimus, quæ formoſa domina, quæ turpiſſima. Poſtquam D. Ambroſ. *a* latè de eis fuiſſet prolocutus, quòd idem ante ipſum fecerat D. Baſil. *b* tandem præclaris his concludit verbis. *Nulla diſcretio inter cadauera mortuorum, niſi forte, quod grauius fætent diuitum corpora diſtenta luxurie*, &c. Cum igitur hæc ita ſint, quæ tua debet eſſe ſollicitudo? Licet nobis dicere, quod D. Petrus aſſerit de hoc mundo: Notum ſit vobis fratres, quia omnis hæc pulchritudo, diuitiæ, nobilitas, palatia, ædificia igne deuorante ſint diſſoluenda: *Cum igitur hæc omnia diſſoluenda ſint, quales oportet vos eſſe in ſanctis conuerſationibus, & pietatibus*, ſi in hæc redigenda ſunt, & aurum nobilitatis, & diuitiarum argentum, & æs pulchritudinis, & fortitudinis ferrum, an non optimè deceret, quòd modo inciperes te præmunire ac diſponere, pænitentiis, macerationibus carnis, eleëmoſynis, humilitate?

a L. 6. Hexa. c. 8.
Z. 1.
b Ho. 3.
2 Pet. 3. 12.

IV. Mors omnia diſſoluit.

Aduerte autem modum loquendi D. Apoſtoli: *Omnia diſſoluenda ſunt*. Nobilitas non eſt tua, ſolummodo eam tibi mundi curſus attexuit. Opes non ſunt tuæ, auaritia tua tibi eas alligauit, aut hereditas proauorum: Corporis venuſtas non eſt tua, ipſa natura tantùm eam tibi ſocrauit in facie, idque pro paruo tempore. Vide, conſpice, quòd mors diſſolutura ſit eum nexum, & te omnibus eis nudum relinquet, quæ tibi alligata poſſidebas. Hoc eſt quod toties repetimus ex Pſalterio. *Ne timueris cum diues factus fuerit homo, quoniam cum interierit non ſumet omnia, neque deſcendet cum eo gloria eius.*

Pſ. 48. 17.

Non te perterreat, nec attonitum reddat, ſi videris diuitem, potentem, ſuperbum, omnia quæ ſunt in mundo poſſidentem. *Ne timueris* in ictu oculi in puluerem conuertetur, & ipſa eius bona, ipſa mundi gloria eum omnibus orbatum deſtituet. Videtur alludere ei conſilio, potius dicero, mandato Dei dato Moyſi & Aaroni: ingrediuntur Ægyptum, ſiſtuntur coram Pharaone, contemplantur eius regiam maieſtatem ac celſitudinem, quâ perculſi ſubſiſtunt. *Tollite* (præcipit Deus) *manus plenas cineris de camino, & ſpargat illum Moyſes in cœlum coram Pharaone.* Ad quid hoc Domine? Cinis hic aperiet vobis oculos, & pro collyrio deſeruiet, vt cognoſcatis, quis ſit Pharao, quæ eius maieſtas, quæ gloria: nihil eſt præter cinerem, quem ventus diſpergit, quia in cinerem eius hæc gloria conuertetur. Hoc quoque voluit, Sancti Dei viri intelligerent, vt mundi Principes diſcant non timere: clamat apud Iſaiam. *Audite me, qui ſcitis iuſtum*, &c. *Nolite timere opprobrium hominum, & blaſphemias eorum ne metuatis; ſicut enim veſtimentum, ſic comedet eos vermis, ſicut lanam, ſic deuorabit eos tinea.* Veſtes habentur precioſæ, de illis ipſis enaſcentur vermes, qui in ſepulchro eas corrodent. Sunt ligna inaurata, de his ipſis germinabit tinea, quæ illa deuorabit. Hac ratione animum dabat filiis ſuis Mathathias, quando eos Græcorum robur & Rex Antiochus perterrebant: *A verbis viri peccatoris ne timueritis: quia gloria eius ſtercus, vermis eſt. Hodie extollitur, & cras non inuenitur: quia conuerſus eſt in terram ſuam, & cogitatio eius periit.* Vos ipſos agnoſcite, ô viri, intelligite vos non eſſe id, quod eſſe videmini: alligata & appenſa ſunt omnia & ea hic relinquetis. *Cum interierit non ſumet omnia.* Hic optimè quadrat præclara D. Baſilij concio, circa illa verba Moyſi. *Attende tibi ipſi*, de quibus alias actum eſt.

Exo. 9. 8.
Iſa 51. 7.
1. Mach. 2. 52.
Ho. 3.
Deut. 4. 9.
Tract. 1. p. 2. §. 29. & ſeq.

### §. 21. *Habeatur amodo vt puluis, qui adhuc viuit, vt mortuus poſitus in pheretro, ſicut Noë concluſus in arca.*

I. Declaratur hæc ſententia: *Memento homo* &c.

OMnibus his dictis ſupereſt nobis magna difficultas, circa verba illa Eccleſiæ nobis hodie intimata: *Memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris*, quæ prima facie videntur falſa. Primo, ex oculorum teſtimonio, vt poſſis dicere. Video, quòd non ſim puluis, homo ſum ex carne & oſſibus, fortis, vegetus. Video quod Domina ſim, formoſa, ſagax, iuuenis. Secundò, homo non reuertitur in puluerem, niſi per mortem: hoc enim tempus eſt, de quo Prophetat Dauid: *Exibit ſpiritus eius, & reuertetur in terram ſuam.* Mors nondum venit, verè enim viuo ego, comedo, dormio. Tertiò, Videntur ſibi verba hæc contradicere: quia ſecundùm Philoſophiæ axiomata, hoc quod in aliud conuertendum eſt, nondum hoc eſt; nec aqua ventus eſt, antequam in illum conuertatur, nec lignum ignis eſt, antequam accendatur, nec puluis, antequam conſumatur: tunc enim in puluerem lignum conuertitur. Secundùm hanc doctrinam, ſi homo in puluerem ſit conuertendus: nondum dici poteſt, quod

Pſ. 145. 4.

puluis.

puluis, ſit, nec erit, donec fiat iſta conuerſio, quando ſcilicet mors venerit. Verùm enim verò, tam indubia ac vera eſt hæc ſententia vtpote ipſius met Dei ore promulgata, vt fallere non

*Ad Tit. 1. 2.* poſſit. *Non mentitur Deus*: ait D. Paul. poſt primorum noſtrorum parentum peccatum, relictis Adamo ex totius vitæ decurſu nongentis triginta annis, ſtatim dixit ei Deus, *puluis es & in puluerem reuerteris*. Huius rei plurimas dedimus

*Gen. 3. c. 19.* *Tract. 1 p. 2. §. 31. vſque 47.* rationes. Nunc ſuccinctè dico quòd modo ex veritate poſſis teipſum puluerem nominare, & vt puluerem credere: eô modô loquendi quô quando ducunt furem ad patibulum ſuſpendendum, & is iam nunc ad mortem procedit, dicere ſolemus: illum iam ſuſpendunt: iuxta enim philoſophicum ſcitum: *Quod parum diſtat, nihil diſtare videtur. a.* A momento conceptionis

*a L. 3. de Ciuit. c. 11.* tuæ progredi cœpiſti verſus mortis patibulum, vt probat D. Aug. cuius rationes expoſuimus.

*b Tract. 1. p. 2. §. 41. & ſeq.* *c Ho. 17. in Gen.* *b* Res eſt frequentiſſima noſtra phraſi loquendi, (ait D. Chryſoſt. *c.* hoc ipſum exponens) quòd eâ horâ quâ contra reum ſententia pronunciatur, principaliter ſi non ſubſit appellatio, illam habeamus quaſi executioni mandatam. Et quando iudex in tres proloquitur ſententiam: in vnum, vt affigatur patibulo: in alterum vt virgis cædatur: in tertium, vt exilio multetur: dicimus: iam pronunciata eſt ſententia in furem vt ſuſpendatur: in talem vt exterminio puniatur: non quòd iam executioni ſententia mandetur, ſed quòd confeſtim executioni mandabitur. Nunc igitur conſidera, quamdiu credis differendam ſententiam, quam contra te tulit Deus cunctoſque mortales in hæc verba: *puluis es & in puluerem reuerteris?* breuiſſimo tempore: non diſputo quando futurum ſit ſiue hoc annô vel hoc menſe, quinimo hodie, ſic vt viuens hac non egrediaris Eccleſia; Et tu qui mane ſanus de ſtrato ſurrexiſti, noctem mortuus non tranſigas. Hoc verò ago, vixeris tot annis, quot na-

II. Breues dies ſunt hominis. *Iob 14. 5.* *Iob 20. 5.* *Lib. 15. Mor. c. 2.* turaliter homo poteſt viuere, ſeptuaginta, vel octoginta vt ſummum, adeſt Iob. qui ait: *breues dies hominis ſunt*. Cui addit amicus eius Sophat Naamathites: *ad inſtar puncti*. Qui octoginta vixiſti annis, quærit D. Gregr. imò & octingentis, vt illi qui ante diluuium vixerunt, per Deum veſtrum vos obteſtor, quanto vobis videtur tempore vita perdurasse? vno inſtanti.

Quoties dicis: certè mihi videtur, me heri iunctum matrimonio; heri talem vidi iuuenem, & modo Epiſcopum. Si tam breues tibi octoginta videantur anni iam tranſacti, quales credis futuros, tres aut quatuor adhuc venturos? ſi ex vitæ tuæ veſtimento reſcideris tot plicas quot præterierunt anni, & omnes tam breues videris, credisnè venturas fore longiores? Tam breues viſi ſunt quibuſdam, quos Salomon notat, qui cum multo tempore deliciis & carnis vacaſſent oblectamentis, ſecuti vernum iuuentutis florem, quando mentis oculos ad annos iam elapſos reflectebant, ut eis nihil viſum ſit celerius ſuper terram decurriſſe, nec vmbram, nec curſorem, nec nauim, nec auem, quodque cùm primum nati fuiſſent, ſtatim finem accepiſſent. *Nos nati continuò deſiuimus eſſe.* Huic videtur *Sap. 5. 13.* conuenire, quod idem Salom ait: qui ſtatuens ac deſignans ſingulis rebus tempora, nullum vitæ deſignauit, ſed natiuitati tantum & morti: *Tempus naſcendi, tempus moriendi.* Nullum ergo *Eccles. 3.* reſtat viuendi tempus? videbatur dicere debuiſſe: Tempus viuendi, & tempus moriendi: quia cum ſtatuat (ſicut ſtatuit) rebus contrariis tempus: *tempus ridendi, & tempus flendi, tempus ædificandi, & tempus deſtruendi* &c. Sic & ſtatuere conueniſſet duas res contrarias: & tales non videntur eſſe naſci & mori; bene equidem viuere & mori; ſic optimè quadraret: Tempus viuendi & tempus moriendi. Præclaro ſane loquitur 3. Ratio ingenio. Primo: definiunt enim viri ſanctiſſimi III. nullum eſſe tempus, quod proprie ſit tempus viuendi: quia quo quis naſcitur momento, eodem incipit & mori, & finem accipere: ſicut quo momento candela accenditur, eò incipit & conſumi: quia ardendo conſumitur, & incipere ardere, & conſumi conuertuntur & idem ſunt. Ita D. Ambro *a Vitæ namque principium, mortis exordium eſt; nec prius augeri incipit ætas, quam minui.* Huic concinit D. Hieron *b* confirmans idem quadam Manilij ſententia: *Nos ex quo naſcimur, mori incipimus, vt Manilius ait. Naſcentes morimur, finiſque ab origine pendet.* Adeſt veridicus Angelus Sacerdoti Eſdræ ſic de hominibus ad huc viuentibus proloquens: *Et quoniam ſcientes, quia moriuntur. c.* Hanc materiam ex profeſſo tractauit D. Aug *d.* proponens accuratè & diſtinctè quæſtionem hanc curioſam; quando veraciter dicatur homo mori, de qua alias diximus *e*

2. Quòd Spiritus S. nullum viuendi tempus aſſignauit ratio eſt; quia hoc tam breue eſt, vt in computum venire non poſſit, ita vt ponendo tempus naſcendi, poſſis ſtatuere tempus moriendi. Quinimo ipſe Deus (vt aduertit D. Hier.) vſus eſt mira prorſus phraſi loquendi, de magno illo agens Monarcha Nabuchodonoſor. Multis enim ante eius natiuitatem, quinimo & conceptionem

annorum curriculis, iam nunc illum repræſentat quaſi conſumptum verſumque in cineres. Proinde Prophetæ ſuo mandat, vt eo modo illum deſcribat, & de eo dicat, multo tempore, priuſquam viuere aut eſſe, incepiſſet: *Finitus eſt* Iſai. 16. 4. *puluis, conſummatus eſt miſer, defecit, qui conculcabat terram.* Si tantum Regem, & potentiſſimum Monarcham, qui pluribus victurus erat annis puluerem nominat adhuc centum annis antequam naſceretur, quid de vobis futurum, quibus forte vitæ centum horæ non ſuperſunt?

47 Magni ponderis ſunt verba illa, quæ dixit Apoc. 17. 12. Angelus D. Ioanni Euangeliſtæ declarans illi mundi euentus, & quando venturus eſſet Antichriſtus. Ad hoc oſtendit illi in beſtiæ cuiuſdam decim cornibus, velut in decem Hieroglyphicis: Orat. de conſummat. mundi. l. 20 de Ciuit. c. 23. (quæ S. Martyr Hyppolitus expoſuit) decem Reges, qui poſt trophæa & gloriam Romanorum ſuccederent, quos ipſe dicit futuros decem, ponendo numerum determinatum pro indeterminato (vt notat D. Aug.) qui ſecundum meam ſupputationem principium traxerunt de Regibus Gothorum, per quos incepit decreſcere Romanum imperium & poſt ſecuti ſunt, & ſequentur alij vſque ad Antichriſtum. Et ait illi Angelus, quòd omnes illi reges regnaturi eſſent vnâ horâ: *Poteſtatem tanquam Reges vnâ horâ acci-* Apoc. 17. 12. *piunt.* Vnâ horâ! Ex quo regnare cœperunt Gothi, inter hos Reges, fuit quidam qui regnauit quadraginta annis, & alij triginta. Et quidem noſtra ætate Illuſtris Rex Don Philippus ſecundus qui iure optimo Prudentis nomine gloriatur, & exemplo poteſt eſſe cæteris Regibus, regnauit quadraginta duobus annis, etiam à mille annis incœperunt iſti regnare, & ſuperſunt multi Reges, & anni adhuc venturi.

Quid ergo dicit, cunctos regnaturos vnâ horâ? Reſpondet D. Ambroſ. vult ſignificare, Iac. 17. 4. L. 11. Mor. c. 2. quàm breue ſit huius vitæ tempus in ſeipſo, & magis adhuc in iudicio & ſententia, illorummet Regum. Interroga (ait D. Greg.) eum qui pluribus, cæteris Regibus, annis regnauit, quando extrema ei illucet hora, quàm longi fuerint dies vitæ ac imperij ſui. Procul dubio, dicet minus vna hora. Sic iudicarunt infauſti illi, qui tranſactis pluribus annis in laſciuiis & deliciis huius ſæculi, deſcenderunt in infernum, illic has ediderunt voces, quas ſapiens audiuit, & nobis tradidit Spiritus S. *Tranſierunt omnia illa tanquam vmbra,* &c. *tanquam nuntius percurrens,* &c. *tanquam nauis* &c. *aut tanquam auis* &c. *aut tanquam ſagitta emiſſa* &c. *nos nati continuò de-* Sap. 5. 9. *ſiuimus eſſe.* O quàm celeriter dies vitæ noſtræ tranſvolarunt, deliciæ, voluptates? tanquam vmbra, tanquam nuntius, tanquam nauis, tanquam auis auolans, tanquam ſagitta. Cur tot adducunt ſimilitudines? quia veriſimiliter, quod vnus vnâ dixerat, non ſatis rem explicare videbatur, quare addunt & alias; & ſic tandem concludunt: *Nos autem continuò deſiuimus eſſe.*

Notandum eſt illud Aduerbium (*continuò*) quo ſolet ſacer textus explicare magnam celeritatem, vt videatur vna res alteri coniungi, ſeu cum illa continuari: ita refert D. Matth. à Chriſto vocatos Petrum & Andream & alios, de quibus addit, *Continuò ſecuti ſunt eum.* q. d. nul- Matth. 4. 20. lâ facta aut interpoſitâ morâ, nec ab inuicem ſeparata Chriſti vocatio & Apoſtolorum ſequela, ſed ita fuere coniuncta, quaſi eſſet vna eademque res continuata, vt nec momentum temporis effluxerit, inter Chriſti vocationem, & Apoſtolorum obedientiam. Eodem Aduerbiô voluerunt infelices illi ſignare, quòd illis tam paruo tempore viſum eſt duraſſe hanc vitam, vt natiuitas & mors ſibi continua fuerint; tam enim breuis extitit hæc vita, vt nec momentum quidem eius poſſit numerari: hoc enim ſufficeret ad diſcontinuandum vnum tempus ab alio. O quàm breuis eſt vita noſtra! O quàm citò elabitur homo! vix prodit in lucem, quin ſtatim marceſcat inſtar leuioris floris, cui nullum præterit tempus inter naſci & marceſcere: *Quaſi flos* Iob. 14. 2. *egreditur, & conteritur.* Nullum datur medium inter hoc (*egreditur*) & illud (*conteritur*) Aliquando cogitatione mea peruagatus ſum totam Hiſpaniam, & vidi, quam breues fuerint & ſint vitæ dies, quot vno momentô perierint, & nullum eſt theatrum, in quo maiori feſtinatiône, intrent & hi, & egrediantur alij comædi. Vix vlla ſedes eſt, quam non viderim habuiſſe diuerſos ſibi ſuperpoſitos.

Mortuus eſt invictiſſimus Rex Philippus II. IV.
& in regnum eius filius ſucceſſor viuit, qui mille Vitæ dies
annis (ſic voueo) illud poſſideat. Quot ponti- breues,
fices obierunt? Pius V. Gregorius XII. Six- exemplis
tus V. Vrbanus VII. Gregorius XIV. Inno- conpro-
centius VIII. Clemens VIII. Leo. XI. Quot bantur.
gubernatores ciuitates mutarunt. Quot Concilia cum ſuis conſiliariis & Præſidibus, non ſemel, ſed ſæpius mutata? Quot Capitula, quot Epiſcopi ſuas Cathedras mutarunt? Viginti annorum ſpatio, quo Rex noſter regnauit, mutauerunt Prælatos ſuos Eccleſiarum aliquæ ter, aut quater. Hinc anſam acceperunt viri Dei, vt ſeſe iam mortuos reputarent, & vt tales eſſe crederent, vnde ſeſe muniebant contra fluctus huius maris

tempeſtuoſi, & contra eiuſdem inflatas vndas, procellas, & pericula ſibi prouidebant.

48 Conueniunt ingenio D. Aug. conceptus, quem ex eodem hauſit Rupert. *b.* De his quæ contigerunt in fabrica monſtruoſæ illius Arcæ Noë. Hanc precepit ei Deus erigere, vt in ea ipſe, eius vxor, filii quoque tres ſaluarentur liberi à naufragio, & periculis tam horrendis, quæ omne viuens ſuper terram abſorbuerunt. Res quoque eſt admiratione digna, conſiderare, quàm Deus fuerit curioſus, ac diligens in ſignando figuram, quam arca hæc habere debebat, ſpecificè præcipiens, vt eſſet longitudo eius trecentorum cubitorum, latitudo, quinquaginta, altitudo vero triginta, ita vt longitudo eſſet ſexties tanta, quanta latitudo, & decies tanta, quanta altitudo. Quæ eſt, ô bene Deus, hæc figura? Corporis humani per terram extenſi. Quòd ſi corpus hominis conſideres communis ſtaturæ ſolo protenſum, velut mortuum; inuenies, quod longitudo eius ſexies excedat eius latitudinem, & decies eius altitudinem: *Si hominem iacentem metiaris*, ait D. Aug *ſupinum, ſeu pronum, ſexies tantum eſt longus à capite ad pedes, quam latus à dextra ad ſiniſtram, & decies quàm altus à terra.* Secundùm hanc dimenſionem, voluit vt arca præferret expreſſam & lucidam figuram pheretri, quæ eadem eſt corporis humani in terra iacentis: & vt Noë, quique cum illo ingrediebantur arcam, ſeſe quaſi iam mortuos crederent, ac pheretro concluſos. Sic vero recluſos, nulla diſperdet tempeſtas, nullæ ſubmergent procellæ, nullum abſorbebit periculum: ſecurè nauigabunt hoc pheretro concluſi.

*L. 15. de Ciuit. c. 26.*

b *L. 4. in Gen. c. 17.*

V. Hominis partium menſuratio.

D. Avg.

Hoc vero te ſecurum redderet, ſi te iam vt mortuum crederes, & quaſi in pheretro conſideraret, depoſitum finitâ iam vitâ ſuâ de qua ſolum tecum deferes vilia linteamina, & fœdè olens pheretrum, in quo te ſic iacentem corrodent vermes; Et quod tam morti vicinus ſis, vt te poſſis quaſi iam mortuum exiſtimare. Quàm leuiter impreſſę tibi manerent deliciarum à quę, & præterfluentia huius vitæ bona, ambitionis procellæ, ſuperbiæ fluctus, quibus huius ſæculi mortales demerguntur. Hæc erat S. Pauli meditatio rapti in tertium cœlum, quum his verbis intimare intendit: *quotidie morior*, ita bene exercuerunt S. Hyeron *a.* S. Ambroſ. *b.* annotantes inter omnia pietatis exercitia, quæ Chriſtiano homini conueniunt, illud maximæ fore vtilitatis, ſi ſingulis diebus exiſtimaret ſe mortuum, & hunc ſeſe ſupremum ad eſſe diem. *Quotidie morior, dicit Apoſtolus*, teſte S. Ambroſio, *Melius quam illi, qui meditationem mortis philoſophiam eſſe dixerunt: illi enim ſtudium prædicarunt, hic ipſum mortis vſum exercuit, qui mente ſua ſe quotidie mortuum cogitabat.* Vnde hoc infero, quòd diebus ſingulis non præparare oporteret ad mortem, aut mortem experiri. *Sit quidem in nobis quotidianus vſus moriendi.* Quod ſi qui comœdus agunt, aut torneamentis aut luctis ſe deſtinant, qui Regem alloqui prætendunt, ſeſe prius probant, & exercent; & omnes artes, atque exercitia primò addiſcuntur, ad maiorem ſecuritatem quantò pluris referret probare ſeipſum, ſeu exercere ad bonam mortem. Suppone te iam mori, & cuncta ſic relinquere, te extremo cum ſpiritu luctari, te iam ſolius Dei conſpectui comparere, quodque nullus ſit, qui ſe tibi ſocium præſtet, & iam nunc rationem redditurus ſis tuarum omnium actionum. Vide qualem te inuenias, & quomodo tibi hæc proba ſuccedat. Hoc eſt autem mente iam eſſe cinerem exiſtimare.

1. *Cor.* 15. 13.

a *Epiſt.* 3. *ad Nepotia.*

b *Orat. de fide reſurrectio.*

D. Amb. Orat. de fide reſ. ... Ta. 4

VI. Cogit. ...

## §. 22. *Eſt homo lutum ſed illitum, inſtar Idoli; ex ſuorum pedum ſonitu dignoſcendus, ſicut altera Regina uxor Regis Hieroboam.*

49 Plus quàm ex rei veritate de quolibet viuente iam nunc dici poteſt, quod puluis ſit: quia ipſe, ea eſt materia, de qua factus eſt. Sumito poculum ex luto inaura illud, depinge illud, argento incruſta illud, quantumcumque lutum cooperueris, lutum eſt, etiam taliter coopertum. Talis eſt homo. Quod credis te eſſe, ô vir nobiliſſime, domicella pulcherrima, dux fortiſſime, Prælate excellentiſſime, Princeps ſupreme? Vas luteum veſtibus pretioſis auro & ſerico coopertum. Quid eſt facies illa niſi lutum, variis coloribus & fuco illitum? *Memento quæſo, quod ſicut lutum feceris me*, ſicut illud, fucatum, leuiori illo vitæ velo, & laruâ veriſimilium huius mundi. Tolle laruam illam, lituram illam, cooperimentum illud, & quid inuenturus ſis mirabundus inſpicies. Dignus D. Bernardi Spiritu fuit ille diſcurſus quem dedicauit Papæ Eugenio tertio. Fuerat hic Pontifex Monachus & D. Bernardi Diſcipulus, quem ſemper vt Patrem & Magiſtrum ſuum reuerebatur, proinde ſemper eum de ſtatu vitæ ſuæ conſulebat. Quocirca, miſit illi D. Bernard. celebres illos duos libros *de Conſiderationæ.* In quorum vno conſiderationem ſcribit, quam ſemper ſui ipſius habere oporteret, quæ ad cogni-

tionem-

*Iob* 10.

*L. 2. de Conſid. ad Eug.*

tionem ſui ipſius maximè conducit. Secundum enim totius Philoſophiæ naturalis axioma & fundamentum, pariter & diuinæ præ cæteris cuique conuenit illi conſilio parere. *Noſce teipſum.* Hæc tibi Pater ſancte ſit cura principalis, noſcere teipſam. Iam video, quod ſi quæras quis ſis, ſtatim habebis ad manum veram reſpenſionem. *Qui es? ſacerdos magnus, ſummus Pontifex. Tu princeps Epiſcoporum, tu heres Apoſtolorum, tu Primatu Abel, gubernatu Noë, Patriarchatu Abraham, ordine Melchiſedech, dignitate Aaron, autoritate Moyſes, iudicatu Samuel, poteſtate Petrus, vnctione Chriſtus Tu es, cui claues traditæ, oues commiſſæ &c.*) Tu Paſtor vniuerſalis, tu caput Eccleſiæ, habent alij Prælati Eccleſias particulares, in quibus ſolum ſuperiores ſunt, & habent oues certo numero ſibi ſubditas. Tu vero Paſtor vniuerſalis, cæteris Paſtoribus & omnibus ſuperior. *Habent illi ſuos aſſignatos greges, ſinguli ſingulos, tibi vniuerſi crediti, tu omnium vnus es Paſtor.* Hoc autem clarè patet ex eo quod Chriſtus Petrô dixit, cuius tu ſucceſſor: *Paſce oues meas*, non dicit, has aut illas, ſed omnes quæ eius fuerant, ita vt, quicunq; ſe gaudet eſſe Chriſti ouem, ſe tibi ſubditum credat. Nec ſolum ei commendauit ouem ſed etiam agnos ouium, cum dicat: *Paſce oues meas, paſce agnos meos*, Indicans ſe illi concredere & ſubiicere Prælatos & ſubditos, ſint illi omnes, inferiores. Quâ ratione mirabili planè ſtylo rem proſequitur ſic eſt ac te talem eſſe, vt talem te fatemur vt talem veneramur, vt tali obedimus. *En quis es.*

I. S. Bernardi ad Eugenium de conſideratione ipſius pulchra demonſtratio.

Ioan. 21. 17.

Verum tamen Pater ſancte, opto conſideres, quòd non ſolum hoc es, ſed quod pariter & homo ſis, & hoc ita, vt hoc tibi magis ſit proprium, & inſeparabile: duo enim es, vnum per naturam, in quo natus es, hoc eſt, quòd homo ſis mortalis corruptibilis, miſeriarum ſaccus, fruſtulum terræ, & in terram reuerſurus. Alterum ex accidenti, quòd huic ſupernaturali eſſe ſuperuenit: quod ſummus ſis Pontifex, ſupremus Princeps, & caput Eccleſiæ, omnibus qui hic viuimus ſuperior. Hoc quod es, per naturam, tam eſt tibi proprium, vt hoc non eſſe non poſſis quandiu vi-dis, vbicumque & quomodocumque fueris. Aliud eſt ſuperpoſitum, & ſicut ſine illo natus es & ſine illo multis fuiſti annis, ſine illo potes viuere. Hinc eſſe vnum, alterum non tollit, nec nouum hoc tibi ſuperpoſitū tollit id in quo natus es, & bene quidē hoc cooperculū eſt alterius, quo cooperitur, adornatur, & venuſtatur inſtar imaginis ex loto pretioſis veſtibus, gemmis, auro, ſericis ornatæ. Conſideratio iſtius, auferre non debet cognitionem alterius *Vna ſanè conſideratio: quid fueris, & quid ſis: nam quis ſis factus, altera. Non oportet, vt iſta extrudat illam in ſcrutinio tui. Es enim vt dixi, adhuc quod eras, & non minus hoc es, quam quòd factus es poſt, forte & magis. Denique illud natus es: mutatus hoc: non in hoc mutatus. Non refectum illud, ſed iſtud adiectū.* Hic igitur ſiſte, quod ſi intueatis, quis ſis, inuenies, quòd ex natura homo es, ex accidenti Epiſcopus & Princeps Epiſcoporum. Iuxta illud ini tecum rationem, & vide vtrum ex his duobus ſit magis purum, proprium & inſeparabile, illud in quo natus es, quod tibi conuenit ex natura, vel illud ſecundum, quod poſt es factus, quod tibi venit ex accidenti? *Quid tibi horum videtur ad purum eſſe tui, & ad te principalius pertinere, quod factus, an quod natus?* Quod igitur, Pater Sancte, tibi conſulo, hoc ſit, vt ita conſideres illud quod es ex accidēti vt oculos non diuertas ab eo quod es per naturam: Conſideratio tua non hæreat, in cooperculo, ſed quo magis hoc eminet, & oculis huius mundi tuiſque irradiat, eo magis erigatur anima manu intellectus & contempletur eſſe coopertum hominis mortalis, pulueris, terræ, luti, hoc enim es, & in hoc breui conuertendus. *Memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris. Dele fucum fugacis honorū & malè coloratæ nitorem gloriæ: vt nudè nudum conſideres: quia nudus egreſſus es de vtero matris tuæ Numquid infulatus, numquid micans gemmis, aut floribus ſericis, aut coronatus pennis, aut ſufforcinatus metallis? ſi cuncta hæc veluti nubes quaſdam matutinales velociter tranſeuntes, & cito pertranſituras diſſipes & exſuffles à facie conſiderationis tuæ; occurrat tibi homo nudus, & pauper, & miſer, & miſerabilis, homo dolēs quòd homo ſit, erubeſcens quòd nudus ſit, plorans quòd natus ſit, murmurans quòd ſit homo natus ad laborem, non ad honorem.*

Plauſu digna fuit hiſtoria illa laruæ, Reginæ vxoris Regis Ieroboam & vt talem eam narrat Spiritus ſanctus. Erat hæc Regina, & ex conſilio viri ſui immutauit veſtem ſuam, ne eam Propheta Ahias agnoſceret, quem conſulere volebat de morbo filij ſui; Veſtes aſſumpſit vt operaria diurna & vili contecta læna, longe alia viſa eſt quàm ipſa erat. Sic induta, domum accedit Prophetæ, qui cœcus erat, & ſicut quòd cœcis natura negauit in viſu, hoc ſupplet in auditu, ingrediente Regina, ſubſtitit, vt intrantis greſſus perciperet; audit illam, & à Deo illuminatus, Reginam agnouit: *Audiuit Ahias ſonitum pedum eius introeuntis.* Cui ait: Ingredere, ô Regina, ingredere, licet ementito habitu; optimè

3. Reg. 14.

Verſ. 6.

te agnoſco, quòd illa non ſis, quam te eſſe mentitur alienus ille habitus. *quare aliam te eſſe ſimulas?* Secretum certè ſtupendum debet pedum ſonitus continere, cum ex illo Propheta cognouerit, quod hæc non eſſet mulier illa, quam ſe eſſe fingebat, ſed alia longè diuerſa. Eſt ille pedum ſonitus, qui rei veritatem luce clarius aperiat.

Quotquot viuunt in hoc mundo incedunt omnes laruati, alios ſe mentientes, quàm reipsâ ſint cooperientes ſeipſos veſtibus à ſua eſſentia prorſus alienis: quod forſan ille dicere intendit, qui huius rei tam claram habebat notitiam, Pſ. 38. 7. Propheta Dauid: *Verumtamen in imagine pertranſit homo.* In Hebræo habetur verbum, quod ſignificat figuras idolorum; nam idola ſtatuebantur ſecundum exteriorem formam, tanquam poteſtate præclara & maieſtate veneranda; intus vero, nihil aliud hæc erant, quàm ſegmen ligni. Talem fingebant Iouem totum auro fulgidum, excelſo reſidentem throno, vt qui cœlos regeret, & pro beneplacito ſuo terram quateret tonitru, & fulgure terreret, flammanteſque radios iacularetur. Mercurium erigebant ornatum ſuo caduceo, vtpote repletum omnigenâ ſapientiâ, & eiuſdem ſapientiæ Principem. Martem collocabant euaginato gladio terribilem, vt qui ſolo armorum ſtrepitu potentiſſimos quoſque ſuperabat exercitus: ab intus verò, hi omnes & eorum ſinguli, non erant niſi luti quoddam figmentum, puluere obſitum, aut lapis rubigine ſordidus, aut lignum à tinea corroſum.

Ita Propheta Habacuc de quodam loquitur idolo, ſplendidè adornato, depicto, veſtito: *Ecce iſte coopertus eſt auro & argento, & omnis ſpiritus non eſt in viſceribus eius.* Habac. 2. 19. Quid ſunt omnes homines hic ambulantes, niſi puluis & lutum? qui veſtibus cooperti incedunt ſumptuoſis. Hic ſuo Regno, alter ſuo Ducatu, ſuo Comitatu alius, hic ſerico, diuitijs ille, hæc venuſtate, illa veſte plumaria, alia deniq; mille laruis adornata. Hic apparet Iupiter quidam potentiſſimus, qui tonet & ſonet, qui mandet & vetet; Alius Mars quidam, qui conturbet & domet omnia. Verùm ſonitum pedum attende, videbis extremum vitæ, dum duplicantur campanæ, dum ſepulchrum aperitur, dum te mundus è ſe repellit, ipſe verò cum omnibus tuis diuitiis maneat ſuperbus, pedibus ſuis omnes tuos conterat titulos, tibi tantummodo relinquat vile linteamen pulueri tuo contegendo, terrâ te obuoluat & cinere, his accedat ruſticus, qui ligone vel ſarculo os tuum oculoſq; concutiat. Hic ille ſonitus pedum tuorum, dum portam ingrederis æternitatis: quod eſt mori: *Quoniam ibit homo in domum æternitatis* Eia igitur (hortatur nos Iſaias poſtquã diuinâ quâdam eloquentiâ cuncta hæc deſcripſit) *Memento horum Iacob* O Iacob, luctator, qui Dei tui benedictionem Eccl. 12. ſatagis obtinere. *Memento horum*, & tuam comprimito arrogantiam, tuæ ſuperbiæ alas demittito, vt verus Iacob coram Domino proſtrato, ac Vide de hac materia humilibus precibus, & feruentioribus orationibus, eius gratiæ poſtulato benedictionem, quâ Tract. ... pa. ... cœleſtis obtineas gloriæ fruitionem, Amen.

# SVMMARIVM
## HOMILIÆ SECVNDÆ SEQVENTIS.

DOcet nos præſens Euangelium, quomodo Chriſtus Centurionem, vt adamantem & ſpeculum illuminarit, ex quo clariſſimi lucis radij prodierunt. *a.* Miles fuit Hiſpanus, qui omnes eneruat
a §. 1. prætextus, quos allegant mundani, cur ſancti non ſint. *b.* Lucis
b §. 2. 3. radij quibus nos & illuminat, & erudit, decem computantur; quorum Primus hic ſit: Chriſtum accedere vt verum Deum,
c §. 4. 5. 6. mediantibus ſacerdotibus. *c.* Secundus: Recurrere ad Deum principaliter corde & animo. *d.* Tertius: Hoc autem optima diſpoſitione, meliore
d §. 7. quam Regulus: cui Chriſti miniſtri diligenter attendant, ne fiant perſonarum acce-
e §. 8. 9. ptores, cuiquequæ illi expediat, conſcribentes medicinam. *e.* Quartus: fide magis
f §. 10. viuâ, quam ſacerdotes, qui Centurionis peruerterunt commiſſum. *f.* Quintus: Ap-
g §. 11. pelletur Chriſtus, Dominus ſine termino. *g.* Sextus: ſibi ipſi, non domini ſuæ in-

digni-